




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disquisitio Critica In Georgii Christophori Neller Jcti
Trevirensis De Tribus Episcopis, S. Petri Etiamnum
Viventis In Romana Cathedra Successoribus, Systema
Novum, Uti Et Primatum Pontificium S. ...**

Berg, Hyacinth

Coloniæ Agrippinæ, 1772

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61433)



M. II. ~~50.~~
28

Th. 4. 742.

1000

DISQUISITIO CRITICA
IN
GEORGII CHRISTOPHORI NELLER
JCTI TREVIRENSIS
DE
TRIBUS EPISCOPIIS,
S. PETRI ETIAMNUM VIVENTIS
IN ROMANA CATHEDRA SUCCESSORIBUS,
SYSTEMA NOVUM,
UTI ET
PRIMATUM PONTIFICIUM
S. CLEMENTIS I.

AB EODEM VIRO CLARISSIMO IN JUS
VOCATUM.

AUTHORE

HYACINTHO BERG S. J. Presbytero,
Theologo Colonienfi.

*Collegii S. J.
Paderborn.
1772*



COLONIÆ AGRIPPINÆ

Typo SIMONIS ET KRAKAMP Bibliopol. 1772.

Si tu translationis (*substituere liceat: EXPOSITIONIS*) servasses
fidem : mihi necessitas non fuisset interpretationem falsam
vera interpretatione subvertere. Novit conscientia tua,
quæ addideris, quæ subtraxeris, quæ in utramque partem,
ut tibi visum fuerit, immutaris.

S. HIERONYMUS in Apologia adversus Ruf. L. II.



PROOEMIUM.



In exercitio juridico a. c. ad diem 2. Aprilis, quod subit
AUGUSTÆ TREVIORUM *Defendens*
JOANNES BAPTISTA MICHAEL
HETZRODT *Confluus, Praefide* VIRO
CLARISSIMO GEORGIO CHRISTOPHORO
NELLER *J. U. D.*, SACRORUM CANONUM PRO-
FESSORE, AC FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE &c.
parte pagellarum ultima post praemissas varias vario ex Jure positiones
HISTORICUM *adparet (sic enim inscriptio fert) de S. CLEMEN-*

A 2

TE

TE I. Papa ad Can. I. VIII. q. I. παραδοξον, ut postea liquebit, vel παραδοξοτατον rectius appellavero: cujus ex parte, quantumque ad rem meam facit, hunc offero conspectum. Paragrapho I. & II. Veterum proponuntur dissidia, quotus Romæ Episcopus fuerit iste S. CLEMENS. Paragrapho III. præponderare videntur tum Scriptores, tum Catalogi, qui S. CLEMENTI quartum locum, five, quod idem, a PETRO tertium tribuunt. Paragrapho IV. producitur citatus Canon, qui assignet secundum; suppositionis tamen (& hoc quidem rectè) arguitur. Verba Canonis ibidem in asterisco producta sic sonant: " Si Petrus, Princeps Apostolorum, ADJUTO-
 " RES sibi adscivit LINUM, & CLETUM; non tamen potesta-
 " tem PONTIFICII, aut solvendi, aut ligandi eis normam tra-
 " didit, sed SUCCESSORI suo S. CLEMENTI, qui Sedem
 " Apostolicam, POST EUM, & potestatem PONTIFICALEM,
 " tradente sibi B. Petro, tenere promeruit. LINUS vero &
 " CLETUS ministrabant exteriora: Princeps autem Apostolo-
 " rum PETRUS verbo, & orationi insistebat." Paragrapho V. Quid verum in Canone esse possit, quid re ipsa falsum, ita decernit: " Li-
 " num, & Cletum fuisse adjutores S. Petri, sino, donec nempe S.
 " Petrus ipse Episcopatum particularem Romæ, juxta generalem Pri-
 " matum Ecclesiæ, gessit. Sed eos mansisse adjutores usque ad
 " mortem suam, falsum est, reclamantibus Patribus, & Catalogis,
 " qui uno ore Successionem enunciant." In consecutione verò pag.
 38. apertius Authoris mentem bisce declarat verbis: " Non retinuit igitur S. Petrus, juxta istud Systema, donec vivere desit, Episcopa-
 tum

" tum Romanum, quem fundavit, primus in ea Cathedra sedens: sed,
 " retento Primatu Apostolatus, nulli adbuendum Ecclesiae affixo, post
 " se Successores in Romana Ecclesia (non in Primatu totius
 " Ecclesiae) habuit Linum, & Cletum utriusque superstes." Parag-
 graphus VI. Inter eos, qui vivo etiamnum PETRO successerint (nempe
 in Romana Ecclesia, non in Primatu) tertium adjungit CLEMEN-
 TEM, quippe qui jam sedere coeperit Romae, dum Ss. Apostoli
 ibidem sustinuerunt Martyrium. Paragraphus VII. Initium Ses-
 sionis propius, quam quod modo est assignatum, deprehendi non posse cre-
 dit. Paragraphus VIII. Incertum pariter, quamdiu S. CLEMENS
 in Romana Cathedra sedens manserit, pronunciat. Paragraphus
 IX. Questionem movet, fueritne saltem S. CLEMENS secundus
 totius Ecclesiae Primas, quia S. PETRO superstes; cum tales
 non fuerint SS. LINUS, & CLETUS, utpote vivente adhuc
 PETRO defuncti Romani Episcopi: neque id pro certo audeat
 adstruere. Atque hic sisto, quia, quae Paragraphus X., & sequentes ad-
 versus CAESARIS CARDINALIS BARONII Chronologiam dispu-
 tant, facilius a me praetermitti possunt. Authorem hujus lucubrationis
 eundem habeo, qui SE Thesum PRÆSIDEM inscripsit. Adoptionem
 haec ad minimum prodit inscriptio, ut, sive natura pater sit, sive adoptio-
 ne, suam illam esse negare non possit. Disquiram nunc primo in Systema
 ipsum, prout a VIRO illo CLARISSIMO adornatum, vel potius ar-
 gumenta Systematis, quaeque iis pondus insit, excutiam. Disquiram
 deinde, justane ulla aut verosimilis causa producta fuerit a VIRO

CLARISSIMO, *cur incertum habeat Primatum Pontificium S. CLE-*
MENTIS, qui extra omne dubium verus Romanae urbis Episcopus,
Cathedram etiam illam Divo PETRO superstes tenuisse agnoscitur.
Claudam Epilogo brevi, id simul comprehensura, quis mihi ista in scrip-
tione propositus fuerit finis, quidve observandum censeam VIRO
CLARISSIMO, *si forte calamum adversus me*
acuendum putet.



DISQUI-



DISQUISITIO CRITICA:

PARS PRIMA.

§. I. **U**t probatum VIR CLARISSIMUS daret Systema suum, pro basi sufficere sibi credidit *Successionis Substantiam*; quæ, quoquo modo se res habeat circa multa, hanc tene-
ret *consequentiam* ex EPIPHANIO: PETRUS, ET PAULUS (QUI APOSTOLI PARITER, ET EPISCOPI FUERUNT) LINUS, CLETUS, CLEMENS. Quare Chronologiam, ac temporum sup-
putationes eas, quibus initia, ac fines Sessionum, juxta Consulatum, Imperatorum, æræ Christianæ annos &c. determinantur, sibi decli-
nandas putavit. Quod quidem ille sobrie omnino fecit, ac caute: ne-
que enim in his rebus est adeo versatus, ut vereri non debeat, ne cor-
rigatur: velit cum in EXERCITIO JURIDICO *pro die 2. Decembris anni MDCCLXXI.* pag. 29. §. IV. INDICTIONEM QUINTAM retulit ad annum 1008, quæ certissime cadit in annum 1007, neque subsistere potuit 7. Maji anni 1008, ut vel tirones norunt in eo genere studiorum, cum annos INDICTIONIS ex methodo sibi a RICCIOLLO, PETAVIO, aliisque præclarissimis Viris suggesta inquirunt. Verum cum sic ille *nullam sibi crucem figi* vult a Chronologia; etiam hoc ego commodum refero, ut in *ἡγορατικῆς* rem, ut ipse vocat, *millius certi exitus*, potius autem *interminabilis altercationis* (a) me immiscere nullo modo debeam. Sit igitur, maneatque hæc controversiæ summa, in quam modo indagatur: an PETRUS vivus, an mortuus Successores eos, de quibus agitur, habuerit in ROMANA CATHE-
DRA: vel potius, an accommodatis ad rem argumentis id VIR ille CLARISSIMUS probatum dederit de vivo, quod de mortuo alius in-
telli-

(a) pag. 38. sub asterisco duplici.

telligendum contenderet. Fateor: temporis hic intercurrit quæstio, sed interminati illius, atque incerti, quod a calculis faciendis, uti ipsum liberare potuit, sic plane debeat me. Et quomodo, alioquin eam ipse sibi definiendam sumpfisset?

§. II. In eadem basi sua, quod & alias facit, SUCCESSIONIS, SUCCEDENDI, SUCCESSORIS vocabula omni prorsus rigore capit VIR CLARISSIMUS; quamvis non raro illa & soleant accipi mitius, & debeant. Non repugno. Sit plane *rigida* successio, ita, ut non prius successerit LINUS, quam Episcopatu cesserit PETRUS, nec LINUM CLETUS exceperit, nisi & deposuerit ille prius, quod a PETRO relictum habuit. Quin etiam istud permittam (nam liberalior esse volo, neque, ut noxæ ista mihi sit liberalitas, verendum habeo) sit idem CLETUS, qui ANACLETUS: sit, ut CLEMENS eodem modo CLETO, quo hic LINO, LINUSQUE PETRO, prius scilicet Episcopatum deponenti, successerit: adparebit nihilominus, quid præfente possim in controversia: vincam, an vincar, eruditi orbis iudicium erit. Sonemus classicum.

§. III. Pugnandum primo censuit VIR CLARISSIMUS productis in arenam IGNATIO Martyre, Catalogo quarto Bibliothecæ Colbertinæ, & EUSEBIO PAMPHILI historiæ Ecclesiasticæ parente. Verba ipsa certis de causis, & eodem servato caractere, a me integrè describi debent. " De adiutoriâ *Lini*, & *Cleti* operâ, *S. Petro* exhibitâ, nihil est in sacris Literis; ut quæ *Cleti* non meminerunt, *Lini* verò tantum in clausulâ saluatoriâ epistolæ *S. Pauli ad Timoth. II. cap. 4. v. 21.*; quæ cum paulò post primam Apostoli coram *Nerone* defensionem (*C. Baronio Tom. I. pag. 590. a. C. 59. Neronis 3.*) scripta fuerit Romæ, certum est, ibi quoque *Linum* tunc fuisse cum *S. Paulo* Apostolo: propter quod epistola *S. Ignatii ad Trallianos*, quæ inter genuinas refertur, *Linum* non *S. Petri*, sed *Pauli* ministrum, sive *Diaconum* fuisse scribit: *quid etiâ Diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam, & immaculatam, quo modo S. Stephanus Beatissimo Jacobo, & Timotheus & LINUS PAULO, & ANACLETUS & CLEMENS PETRO.* Econtra duos priores *Petro*

exti-

" extitisse *Coepiscopos*, dicit catalogus RR. PP. *quartus* Bibliothecæ
 " Colbertinæ apud *Pagium* Tom. I. criticæ pag. 165, ubi post *Linum*,
 " & *Cletum* sic: *hi duo fuerunt* COEPISCOPI, NB. UNUS SCIL-
 " CET POST ALIUM, *temporibus B. Petri*: & ante istum *Eusebius*
 " lib. 3. cap. 4. de *Lino*, & *Clemente* affirmat: LINUS *verò* & CLE-
 " MENS (memorantur) *in urbe Româ Ecclesiæ PRÆFUISSE*, *qui*
 " COMITES & ADJUTORES *ejus fuisse ab ipso Paulo perhibentur.*"
 Sub asterisco simplici ad §. V.

Potest, si res primo consideretur obtutu, videri CLARISSIMUS aliud per hæc nihil voluisse, quam ut ostenderet justam sibi esse id mere *finendi*, non autem definite affirmandi causam, quod prima Paragraphi parte dixerat: LINUM, ET CLETUM &c.; præsertim cum de *adjutoria* LINI, ET CLETI *opera* S. PETRO exhibita nihil quoque sit in divinis Literis. Tumque dissimulari a me locus iste, aut minus severe discuti poterat: qui enim adjutores viventi PETRO fuerunt, eos post PETRI mortem, sed antequam ipsi morerentur, transiisse in successores nihil prohibet. At enim cum jamtum insinuet, S. PETRUM non gessisse Episcopatum usque ad mortem suam (nam quæ alia verborum eorum vis: *donec nempe* &c.) etiam occupandum id censuit, atque aliquo in antecessum modo firmandum, quod postea evolvit magis, & apertius stabilire aggreditur. Quare minutatim hic singula persequi, e re mea esse existimavi.

§. IV. Ut ordiar a Catalogo, scrupulum inprimis id potest movere, anne verba: *Hi duo fuerunt* &c. vel omnia, vel saltem ista NB. UNUS SCILICET POST ALIUM: ab ipsomet eo adposita sint, qui digessit catalogum, an per alienam manum adsuta. Quam sæpe glossæ id genus, & scholiis interpolati occurrant codices manuscripti, uterque novimus. Sed tamen misso hoc scrupulo, cum autographum non viderim ego, fors neque CLARISSIMUS, ut idoneum de illo judicium formare possimus, valeat sane Catalogus, & valeat prorsus, ut extat in Critica PAGII. Equidem quid inde ad causam suam luci VIR CLARISSIMUS referat, videre non possum. Nam si uterque PETRO extitit *Coepiscopus* & LINUS, & CLETUS, quamvis UNUS POST ALIUM; potiori jure arbitror me illaturum, & PETRUM fuisse Episcopum tunc, quando *Coepiscopus* ei extitit

B

LI-

LINUS; & Episcopum non secus, cum in prioris locum alter succedit *Coepiscopus* CLETUS. Nam ei, qui Episcopus non est, quis dicitur *Coepiscopus*, quis *Coepiscopus* ei, in cujus Episcopatum, sed jam ab illo depositum succedit, etsi aut ille, qui Episcopus non est, aut dimisso Episcopatu superstes iisdem cum illo, qui nunc habet Episcopatum, temporibus pergat convivere? Si nihilominus ergo *Coepiscopum* Petro & LINUM, & CLETUM, & cum ordine *successionis* laudatus statuit Catalogus; Systema *Vicariatus Successivi* hinc potius eruendum erit, ut nempe PETRO *primario* Episcopo, vel, si ita lubet, *ordinario Vicarius* primum *Coepiscopus* exiterit LINUS; tum vel ob LINI mortem, vel acceptam alio missionem, vel quamcunque demum ob causam extincto LINI *Vicariatu Vicarius Coepiscopus* factus fit CLETUS. Quæ anne placent? an peccatum in ratiocinio? an minus ejus, qui Catalogum digessit, mentem assecutus videbor? Sic igitur non causam adjuvit suam CLARISSIMUS, sed jam tum pessum ire cœpit. Nisi forte ex eo satis sibi consultum putet, quod *successionem* non qualemcunque, sed Episcoporum Romæ, eamque *rigorosam* statuat Catalogus: Detur hæc etiam ipsi: sed unum excipiamus; nec LINI *Vicariatum* cessasse ob ejus mortem nec postea CLETI: poterit hac ratione utrumque subsistere, ut qui viventis PETRI ex ordine adjuutores fuerunt, eodem servato ordine in defuncti locum succederent, non jam VICARII solum aut COEPISCOPI, sed pleno titulo jureque proprio URBIS ROMÆ EPISCOPI. Sic ergo certe nullum ex Catalogo patrocinium acquirit VIR CLARISSIMUS.

Poterat post hæc ignoscere Viris doctissimis HENSCHENIO, & PAPEBROCHIO, quorum frustra conatur obscurare nominis gloriam semper majorem sua futuram, si *Apostolicos*, vel *Evangelicos* ad tempus eos vocarent Episcopos, quos postea in locum PETRI mortui vere Romanos non solum EPISCOPOS, sed PAPAS successisse volunt. Esto, quod nullo etiam præeunte hæc eis *agnomina* tribuerent. Nam *agnomen*, idque non malum nullo præeunte tribuere, quis non videt esse ferendum facilius, quam Systemata nova, & in re momenti gravissimi, non dicam opinari, vel divinare, sed mente nescio quo abrepta, somniantis instar proponere? (b) Poterat & illud condonare, quod CHOREPISCOPORUM eos interim haberent loco.

Nega-

Negare enim an volet CHOREPISCOPOS (ex etymo vocis *Episcopos regionarios*) persæpe saltem, multisque in locis eos adpellatos fuisse, qui, ordine Episcopi cum essent, proprio destituti Episcopatu, quem regerent, vicariam Episcopis aliis operam navarent? Poterat demum temperare stylo, ut *fecunditatem inventricis imaginationis* (c) non exprobraret PAPEBROCHIO, neque adornantem, ac conciliare conantem cum diversis veterum dictis Systema suum, nimis illum *imaginibus mentis suæ litasse* diceret. (d)

§. V. Ad IGNATIUM veniamus, EUSEBIUMQUE. Quo animo id acciperet VIR CLARISSIMUS, si dicerem, non inspectum ab eo fuisse IGNATIUM? Ac videbar id quidem mihi, & citra injuriam affirmare potuisse, cum inspecta Patrum Bibliotheca textum iis, quibus citatur, verbis non invenirem. Poteram eo magis, hoc ut assererem, propendere, cum neque in editione græcolatina, quæ prodiit Parisiis anno MDLVIII talibus textus verbis occurreret, sed potius, ut eum offerebat Bibliotheca Patrum. En græcum Parisinum: *τι δε διακονοι, ἀλλ' ἡ μιμηται των ἀγγελικων δυναμεων, λειτουργουντες αὐτω λειτουργιαν καθαραν και ἀμωμον, ὡς Στεφανος ὁ ἅγιος Ιακωβω τω μακαριω, και Τιμοθεος και λινος Παυλω, και Ανακλητος και Κλημης Πετρω.* Latine ibidem sic redditur: *Quid item Diaconi, nisi imitatores Angelicarum virtutum, ei ministrantes ministerium purum & immaculatum, ut S. STEPHANUS &c.* Consului tamen & aliam insuper editionem, quæ est Operum DIONYSII anni MDLVI., quibus Ignatianæ sunt permixtæ epistolæ; item *Birckmannianam* Clementinorum anni MDLXX, quibus sub finem Typographus Ignatianas quoque epistolas adjungendas putavit. Et in ambabus, fateor, textum eodem prorsus, quo CLARISSIMUS modo retulit, offendi. Itaque non dicam id, quod primo dicere constitueram; præsertim cum priorem, quam mox memini, editionem consonare cum *Champeriana* anni MDXVI. me

B 2

do-

(b) Robur validæ imaginationis *Henschenio* tribuit. pag. 42. Magnum pariter opinatorem *Papebrochium* vocat. *ibid.* Duos divinatores appellat ambos, moxque per insignem contemptum prælaudatos Authores Systematis imaginarii. pag. 43.

(c) Pag. 37. *Addit.* 2.

(d) pag. 38. *ibid.*

doceat HENSCHENIUS Tom. I. Febr. ad diem 11m in vita S. IGNATII; *Champerianam* autem sibi esse VIR CLARISSIMUS adfirmavit §. XI. in asterisco. Suspicionem tamen vel invitus hærere sentio, eo quod certissimum habeam, non inspicere semper illum omnes, etiam quos inspicere possit authores, meritoque ob rei gravitatem debeat.

Sed levius istud est. Quid autem si aliud incusem vitium in VIRO CLARISSIMO, cum IGNATII epistolam illam, quæ est ad TRALLIANOS, genuinis accuset? Est sane ejusmodi hoc vitium, ut ignorantia dilui, vel calami præcipitatione non possit: quo autem nomine sit appellandum, Lector ipse dijudicet. Quid igitur? non est Epistola illa genuina? est sane *in thesi*, sed non genuina *in hypothese*; non genuina eo, qui adducitur, loco; non genuina in iis, quæ majoribus sunt expressa formis, ac velut ad causam pertinentia notantur: quodque potissimum est, nihil horum aut VIRI CLARISSIMI scientiam, aut, cum scriberet, reflexionem fugisse censeri potest. Nam cujus est tam fertile ingenium, tam sollicita crisis, tam vasta eruditio in monumentis antiquorum Patrum; qui perquam accurate distinguit inter septem genuinas, quinque dubias, tres supposititias S. IGNATII Epistolas; qui illam, quæ est ad MARIAM CASSABOLITAM dubiæ fidei habet; qui hujus tam oculatum epistolæ inspectorem, tamque industrium se collatorem monstravit, ut vel unicam unius syllabæ vocem NUNC suo in exemplari deficientem notarit; ille hoc nescierit unum de Ignatianis epistolis, genuinarum variantes editiones esse; atque illam quidem VOSSII ex collatione USSERII communi Catholicorum calculo probari tanquam incorruptam, & puram; e diverso autem ut non paucis in locis adulteratam, corruptam, interpolatam haberi eam, quam verus offert Bibliotheca Patrum, & quæcumque id genus alia sit, præter eam a VIRO illo CLARISSIMO adornatam, vel imitatione expressam? Nunquid NATALIS hoc ipsum ALEXANDER docere potuit *H. E. Sæc. I. cap. XII. A. XVI.*, nunquid integra pariter, & perampla Dissertatione, quæ est XXIII. ejusdem Sæculi? Nunquid idem NATALIS (& hunc non consuluerit ipse, cum habeat a partibus suis statem in tollendo CLETUM inter & ANACLETUM discrimine?) ubi *Dissert. XIV. in scholio* authores memorat,

morat, quos sit secutus, inter græcos etiam recenset NB. non verum IGNATIUM, sed PSEUDO-IGNATIUM; in epistola ad TRALLIANOS NB. non genuina, sed INTERPOLATA? Nunquid si omnia legit (& quis non legisse credat?) quæ HENSCHENIUS, & PAPEBROCHIUS, ille ad diem 26. Aprilis in CLETO, iste in *conatu chronico historico* pag. 219. meminerunt, hoc quoque legere debuit: ista verba (de ANACLETO, & CLEMENTE) "deesse in genuinis" MSS. græcis FLORENTIÆ in Bibliotheca Medicea existentibus, quas "que epistolas indidem transcriptas edidit ISAACUS VOSSIUS, colatas cum antiqua versione, quam in tribus codicibus MSS. repertam" vulgaverat OXONIÆ JACOBUS USSERIUS? Sed enim intererat ipfius; IGNATIUM quoquo modo in partes suas trahere; intererat, id ut faceret non solum ex epistola ad MARIAM CASSABOLITAM, cujus dubiam fidem agnoscit §. III. iterumque §. XIII. disputans adversus *χρονολογους* BARONII; sed etiam ex epistola, quæ inter *genuinas* refertur, qualis est illa ad TRALLIANOS: intererat, ut ipse, quem inde producit, locus, ac vel maxime in verbis grandiori forma expressis haberetur pro *genuino*, ideoque corruptionem, vel interpolationem sibi satis notam celaret. Valebat id primum, ut ANACLETUS idem haberetur, qui CLETUS, quod asseruerat §. III. Valebat etiam, si non ad firmandum Successionis ordinem, ubi CLEMENTI ANACLETUS præponitur, saltem ad exagitandos, quos iræ suæ devoverat, HENSCHENIUM, & PAPEBROCHIUM, quos multi habuit, fecundique cerebri homines, sed iudicii parum limati. Et si ad nihil valuit horum; eo valuit certe, ut adiutoria LINI opera S. PETRO exhibita, a se merito duntaxat *permissa*, non adfirmata videretur, posteaquam antiquissimum, & in *genuina* epistola ejus operæ ignarum protulisset IGNATIUM.

§. VI. In EUSEBIO id magis accidit VIRO CLARISSIMO, quod in IGNATIO. Non inspexit, repetamque, non inspexit EUSEBIUM. En hujus verba ex Lib. 3. C. 4. *λίγος δὲ ἑμνήται συνοντος ἐπι ρωμης αὐτῶ κατα τὴν δευτεραν πρὸς Τιμοθεον ἐπιστολὴν, πρῶτος μετὰ Πατρον τῆς ρωμαίων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν ἤδη πρῶτερον κληρωθεὶς δεικλωται. ἀλλὰ καὶ ὁ κλημης τῆς ρωμαίων καὶ αὐτὸς ἐκκλησίας τριτος ἐπίσκοπος καθάσας, παλλῶ συνεργος, καὶ συναδελφῆς γεγονεναι πρὸς αὐτῶ μαρτυρεται.* *Ad literam,*

quantum potui, sic latine: *Linus etiam, cujus meminit tanquam secunda
existentis Romæ in secunda ad Timotheum epistola, primus post Petrum
Romanorum Ecclesiæ Episcopatum jam supra sortitus esse demonstratus
fuit. Insuper & Clemens, Romanorum & ipse Ecclesiæ tertius constitu-
tus Episcopus, Pauli cooperatore, & concertatore fuisse ab ipso memoratur.*
Nec mihi statim objectet, in suis verbis eandem esse *substantiam* sen-
sus; se vero satis habuisse, ut *substantiam* adduceret omissis parergis.
Nam quæro primum: idne est citare, vel adducere VERBA AUTHO-
RIS? atqui hæc se adduxisse videri voluit. Ecquid enim parenthesi
clausit verbum: *memorantur*, ac quidem caractere distinctum, tan-
quam non jungendum ceteris, quæ adfirmet EUSEBIUS, vel ille po-
tius interpres, qui latinum reddidit EUSEBIUM? cur verbo: *affir-
mat*, duplex adnectit punctum, ac mox variat characterem? cur sin-
gularem vim ponit in verbo: PRÆFUISSE, & augustiore typo, uti
& solet alia, si quæ ex propriis Authorum verbis sibi speciatim favere
credit, exhibet? quanquam & hujus rei alia sit, quæ postea dabitur,
ratio. Fateatur igitur, se, nescio a quo, deceptum, qui, cum *sub-
stantiam* hoc pacto sensus se retulisse putavit, dux ipsi extiterit, id ut
crederet EUSEBII loquentis esse, quod iste alius tantum ut senten-
tiam, vimque sermonis Eusebiani, venditare voluit; nisi forte & hic
iterum descripserit ex alio, donec tandem ad primum aliquem seu ex
proposito, seu tantum occasione data deceptorem pervenire necesse sit.
Quod si fateri renuat, vitium hoc denuo illi objectari poterit, cui nec
ignoratio præbeat asyllum, nec patrocinium calami præcipitatio. En:
quomodo id probem.

Catalogum *Colbertinum* textui opponis *Ignatiano* VIR CLARIS-
SIME, & opponis in eo, quod, quorum alterum nempe LINUM ad-
jutorem PAULI, alterum nempe CLETUM, vel ANACLETUM
PETRI cooperatorem fecisset IGNATIUS, hunc utrumque catalogus
PETRO *Coepiscopum* exhibeat. Jam ut Catalogum non sine vindictis
relinquas; EUSEBIUM illi præisse contendis, NB. ET ANTE
ISTUM EUSEBIUS; præisse vero, quod partim adfirmavit Coepi-
scopatum LINI; partim vero nominatis a Catalogo Coepiscopis, ter-
tium, sed qui alter PETRI adjutor ab IGNATIO propositus fuerit,
Coepiscopum adjunxit CLEMENTEM. Ita si intelligo; plana est
oppo-

oppositio, cohæret orationis series, ratio adparet, eaque insignis, cur illustrior typi species sit data verbo: PRÆFUISSE; quæ quamobrem data fuerit, si vel de præfectura universæ tantum ageret EUSEBIUS; vel de ea, quæ post PETRI mortem gesta fuerit (cum talena non gesserit te quidem judicante LINUS) ac non penitus de illa, quæ ipsius adhuc *B. Petri temporibus* non a LINO solum, sed etiam CLEMENTE capta fuerit, haud quaquam intelligi potest. Interrogo jam te, VIR CLARISSIME! verene putes ira sensisse EUSEBIUM, ut LINUM, atque CLEMENTEM viventi PETRO haberet Coepiscopos; Coepiscopos, inquam, tuo illo in sensu, quo PETRUS vivus dimisso Episcopatu Successorem primum nactus sit LINUM, & CLEMENTEM CLETO intercedente tertium? Atqui nihil est, fingique potest alienum magis ab EUSEBII mente. Quid? illene EUSEBIUS, qui Lib. 3. cap. 2. scripsit: *της δε ρωμαιων εκκλησιας μετα την παυλου και πετρου μαρτυριαν, πρωτος κληρουται την επισκοπην λινος. Romanorum autem Ecclesie post Pauli, Petrique martyrium primus sortito capit Episcopatum Linus. Qui Libri ejusdem cap. 13. λινος επισκοπος της ρωμαιων εκκλησιας δωκαδικα την λειτουργιαν ενιαυτις καταγων, ανακληται ταυτην παραδιδωσι. Linus Episcopus cum Romanorum Ecclesie duodecim administrationem annis obiisset; Anacleto hanc tradit. Qui cap. 14. της ρωμαιων εκκλησιας ανακλητον, εφεσιν επισκοπεσαντι δεκαδυς, διαδεχεται κληρης. Romanorum Ecclesie cum Anacletus Episcopatum gessisset annis duodecim; excipit eum (vel succedit ei) Clemens.* Illene, dico, EUSEBIUS, qui superstitem hoc pacto LINUM PETRO; CLETUM, vel ANACLETUM LINO, & utrique CLEMENTEM fecit, adeo sui immemor fuerit, adeo secum ipso pugnaverit cap. 4., ut LINUM, & quod deterius est, eo defuncto CLETUM, & hoc e vivis sublato, usque adeo CLEMENTEM PETRO, vel, quod modo in idem recidere patiar, *temporibus D. Petri Coepiscopum* itatuat? Sed quid ista ego? sciebas utique, VIR CLARISSIME! non ita sensisse EUSEBIUM; sciebas, quamvis aut non inspectus abs te esset textus cap. 4., aut ex proposito verbis aliis productus. Sequitur itaque, ut non jam ignorantie, nec præcipitis calami illud sit vitium, sed aliud, quod iterum Lectoris judicio committitur, de quo accusari debes. Nam hunc & ab EUSEBII mente abhorrentem sensum verba loquuntur tua, loquitur verborum cohærentia, loquitur illud maxime, quod LINUM,

NUM, quem dicis PETRO non superstitem fuisse, ad firmandum Colbertini Catalogi assertum, & velut ex EUSEBIO tibi favente, in urbe Roma PRÆFUISSE scripseris.

Sed ut firmiter conjiciendo agam; dicam, quid adverterim tua illa in lucubratione. Cavisti sollicite, ne quem Eusebiana ex Historia textum referres, ex quo PETRI mortui LINUS Successor esse intelligeretur, non dico, ab rerum istarum, & historiæ peritis, atque singula, quæ proponuntur, conferre invicem amantibus, sed qui, ut plerumque fit, pagellas hujuscemodi volante oculo transeunt; oblitum priorum, cum ad posteriora deventum fuit. NON hoc fecisti §. II., sed locos indicasti tantum; ut taceam in his quoque indicandis errasse te. Nam non cap. 2. 14. 24. junctis; sed vel cap. 2. 12. 16., vel cap. 2. 13. 14. 22. junctis scribere debuisti; nisi forte tu alia, quam quæ mihi est, græca, latinaque editione, aliterque capita distinguente utaris. Quod si ita est; non dicam te errasse: quia, num erraveris, ignoro. NON §. III. ubi hæc solum lego ex cap. 14. *In urbe vero Roma duodecim ANACLETUS annis in Episcopatu exactis Sacerdotii sedem CLEMENTI tradidit* (quæ verba supra aliter citavi ego, magisque ad græcam literam exacta; sed litem super hoc nullam intento). NON §. IX. ubi id unum refers, non ex Historia, sed ex Chronico, quod PETRUS fuerit *Christianorum Pontifex primus*. NON §. XII. ubi reperis, quod adduxeras §. III., aliosque duos ex cap. 21. & 33. (mihi in versione 16. & 28., in græco 22. & 34.) textus subjungis; sed quorum uterque filet de LINO, ac ne id quidem exprimit, nisi collatio instituatur cum aliis, an ANACLETUS, aut CLEMENS Petro e vivis sublato successerint. NON ibidem sub asterisco, ubi ex cap. 16. (est & hoc mihi 16. in græco, in latino 12.) laudem duntaxat memoras, quam EUSEBIUS HEGESIPPO tribuit vocando eum *testem valde fidelem*. Nam cetera, quæ adducis, ex Chronico sunt; cumque ea contraria plane Systemati tuo inveneris, concludis cum hac laude EUSEBII: "Hanc rationem temporum multi deserunt velut incertam, ab EUSEBIO sine probationibus positam." NON §. XIII. ubi bis nomen EUSEBII, sed textus nullus occurrit. NON §. XIV. ubi rursus nominatur EUSEBIUS hac nova adjecta ei laude: *EUSEBIUM in Chronologia Romanorum Pontificum cæcutisse, aliudque*

" *que in Historia, aliud in Chronico fixisse tempus, docet Critica Pagii.*"
 NON §. XV. (& hic postremus est) ubi EUSEBII nomen recurrit. Quorsum jam ista tam sollicita cautela? imo quorsum illud, EUSEBIUM *sine probationibus* figentem annos, sæpe alios *in Historia*, alios statuisse *in Chronico*, ac *cæcutientis* se instar habuisse? nisi ut incautum distineres Lectorem, cui EUSEBIUS ad manum non est; quodque is in Historia, referente te, docuit, LINUM in urbe Roma PRÆFUISSE, id ad Coepiscopatum, sive Episcopatum, quem vivo adhuc PETRO sortitus sit, posteaquam ad tempus adiutor extiterit, referri posse crederetur. Hactenus velitatum fuit. Bellum nunc acrius instat.

§. VII. Cum §. V. dixisset VIR CLARISSIMUS: *Sed eos (LINUM, ET CLETUM) mansisse adiutores usque ad mortem suam* (nempe, qua ipsi obierunt: quanquam haud multum interfit, si etiam mors PETRI intelligeretur; quippe qui non semper ex mente CLARISSIMI VIRI Episcopatum particularem Romæ juxta generalem Primatum Ecclesiæ gessit) cum, inquam, dixisset: *Eos mansisse adiutores usque ad mortem suam, falsum est reclamantibus Patribus, & Catalogis, qui uno ore Successionem enunciant: cum gemino istud signasset asterisco, ac post sub eodem substantiam quidem successionis clare enuntiatam diceret, sed Chronologiam illam cruces aliis figentem, ipse destinaret cruce, nullamque ex ea suppositionem, argumentum nullum fieri permetteret: cum balin ex EPIPHANIO suam proferret: "Teneamus modò id, quod ponit S. Epiphanius hæresi 27. ATTAMEN Episcoporum in Româ SUCCESSIO hanc CONSEQUENTIAM habuit: PETRUS, & PAULUS, LINUS, CLETUS, CLEMENS, EVARISTUS;"* Rebus ad hunc modum ordinatis omnibus, ac velut acie instructa, quatuor non amplius Patrum, quibus Systema suum, & in Paragrapho assertum, & in consecutione apertius evolutum stabiliret, autoritate utendum putavit. Sunt ii TERTULLIANUS, & RUFFINUS ex latinis, EPIPHANIUS, & IRENÆUS ex græcis: quos qua ratione in rem suam verterit, & an feliciter tantis pugnarit ducibus; id nunc videre oportet.

§. VIII. Agmen, ut ipsi ducit, sic nobis ducere permittatur TERTULLIANUS. Atque is " Lib. de præscript. advers. hæret. cap.

C

cap.

" cap. 33. ait : *Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne*
 " *conlocatum refert, sicut Romanorum, CLEMENTEM à PETRO*
 " *ORDINATUM refert: Comparatio inter Joannem, Polycarpum, &*
 " *Smyrnæorum Ecclesiam, nec non inter Petrum, Clementem, & Ro-*
 " *manorum Ecclesiam, hic à Tertulliano instituta, evincit, Clementem,*
 " *à Petro Ecclesiæ Romanæ præfectum fuisse Episcopum: tunc igitur,*
 " *vivo adhuc Petro, jam decesserant Linus, & Cletus, qui pariter tem-*
 " *pore Petri Romæ fuerant Episcopi successivi.*" Hactenus verba
 CLARISSIMI.

Sed num inspexisse eum TERTULLIANI locum putabitur? Cur
 igitur pro cap., quod est 32., citat 33.? aut si forsitan aberranti oculo
 vel calamo properanti istud sit tribuendum vitium, vel etiam in Typo-
 thetæ incuriam conjiciendum, cur ait hic comparisonem institui a
 TERTULLIANO inter *Smyrnæorum, & Romanorum Ecclesiam &c.*?
 Atqui non Ecclesiam cum Ecclesia ille comparat; sed exemplum ab
 utraque sumit Ecclesia (vis quidem aliqua comparisonis hic laret) quo
 id probet, quod objecerat hæreticis. Verbo: bis ille utitur particula:
sicut. Sicut, inquit, Smyrnæorum Ecclesia &c., sicut Romanorum &c.
 Atque hæc duo exempla ad illud refert, quod immediate præmiserat:
hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos (id est, interprete Rigal-
tio Jcto: origines suas) deserunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia &c., sicut
Romanorum &c. nempe ad eum modum, quo Smyrnensis in Poly-
carpo, quo Romanorum in Clemente. Quare non est alia illius par-
ticulæ vis, quam si dixisset: E. G. Smyrnæorum Ecclesia POLYCAR-
PUM a JOANNE conlocatum, Romanorum CLEMENTEM a
PETRO ordinatum refert. Sed integer est producendus locus, ut ad-
pareat, quam aut nihil inde concludi possit in causam VIRI CLARIS-
SIMI, aut plane concludi debeat oppositum, quamque longe satius
fecisset ipse, si eo sibi loco abstinendum duxisset." Ceterum, si quæ
 " (hæreses) audent interferere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur
 " ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere:
 " edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Epi-
 " scoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut
 " primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris,
 " qui tamen cum Apostolis perseveraverit, (quidam legunt: *perseve-*
 " *rave-*

raverint, sed nihil interest) " habuerit auctorem & antecessorem. " Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae (*id est: ab Apostolis, aut Apostolorum immediatis discipulis fundatae*) " census suos deferunt: sicut " Smyrnæorum Ecclesia POLYCARPUM ab JOANNE conlocatum " refert: sicut Romanorum, CLEMENTEM a PETRO ordinatum " itidem. (legunt alii: *edit*, nulli, quod mihi constat: *refert*, quemadmodum citatur a VIRO CLARISSIMO.) " Perinde utique (sunt, qui legant: *Proinde*, nec multum istud refert, quamvis prior lectio præponderare videatur) " & ceteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici." En TERTULLIANI textum cum antecessoribus suis, ac consequentibus nexum, ex quo priusquam certare incipiam adversus VIRUM CLARISSIMUM, aliquid pro me concludere debeo, soloque ob oculos habito SEPTIMIO FLORENTE TERTULLIANO.

Est autem istud: TERTULLIANUM in ea prorsus opinione fuisse, POLYCARPUM in Smyrnæorum Ecclesia primum JOANNI Episcopum successisse, aut si non fuerit (*in sensu rigoroso*) illius Ecclesiae Episcopus JOANNES, eo quod illi regendæ, administrandæque stabiliter sese non addiderit; auctor tamen aliquo modo, & antecessor extiterit, qui POLYCARPUM, eumque primum illa in sede collocavit: similiter CLEMENTEM a PETRO eum in finem ordinatum fuisse, seu *χρησθεσιαν* accepisse, ut aliquando primus ipsi in Romanorum regenda Ecclesia succederet; Successionem etiam (quod & VIRO CLARISSIMO, & mihi falsum est, sicut & illud falsum habeo, quod de POLYCARPO ut primo Smyrnæorum Episcopo statuitur) primum illam reipsa consecutum fuisse. Hoc enim colligo ex illis verbis: quod *evolutio poscatur ordinis per successiones ab initio decurrentis*; ex illis: *ut primus ille Episcopus*; ex illis: quod sic Ecclesiae Apostolicae census suos deferant; ex illis: quod sic deferant reipsa Smyrnæorum Ecclesia, & Romanorum; ex illis, quod *perinde sic exhibeant ceteræ*, proferendo viros *ab Apostolis in Episcopatu constitutos*, id est: vel talibus reapse præfectos Ecclesiis, cum non iis se ipsi addicebant; vel saltem ordine Episcopatus donatos, ut, si vacare eas contingeret, succederent; denique ex illis, quod non *tale quidquam confingere possint hæretici.*

retici. Videtur & Hieronymus citatus a VIRO CLARISSIMO §. II. ad hunc respexisse TERTULLIANI locum, cum scripsit: *Tamet si plerique latinorum secundum post PETRUM Apostolum putant fuisse CLEMENTEM.* Respexit certissimè BELLARMINUS, cum Lib. II. de Romano Pontifice cap. 5. ait: *Quidam post Petrum immediate ponunt Clementem, ut Tertullianus de præscript.* Adjungit quidem ille HIERONYMUM in cap. 52. *Isaie*, sed non eodem cum fundamento, cum quo TERTULLIANUM (videat hic VIR CLARISSIMUS, quam nec ipsi parcam Bellarmino, ut proinde querendum non habeat, si minus sibi paritum fuerit) nam HIERONYMUS illic solius quidem CLEMENTIS meminit, qui post PETRUM Romanam rexerit Ecclesiam; sed non sic, ut concludere fas sit pro *immediata* successione. Respexit certissime NATALIS ALEXANDER, cujus hæc verba lego H. E. Sæc. II. cap. IV. A. VIII.: *TERTULLIANUS seriem Successorum Sancti PETRI in Sede Romana describens lib. DE PRÆSCRIPTIONE HÆRETICORUM, cap. XXXII.* (poterat hæc Natalis omittere: nam *series* ibi nulla occurrit; nisi forte interminatam illam, & in qua duo soli nominibus distinguuntur, successionem pro *serie* acceptarit) *CLEMENTEM PETRO successisse immediate docet.* At nunquid adversarios hic eos habeo, quos maxime nollem, Hagiographos Antverpienses Tom. VI. Septemb. in Lino pag. 540. ? fateor: sed sic adversarii non sunt, ut VIR CLARISSIMUS eos pro causa sua producere valeat. Horrent, totoque horrent corde, CLEMENTEM a vivo PETRO, & qui non amplius *Episcopatum Romæ particularem* gesserit, Ecclesiæ Romanæ præfectum fuisse. Adversarii sunt, quod aliam ego, aliam ipsi statuant TERTULLIANI mentem circa *immediatum* D. PETRI, sed NB. ab ejus morte successorem: imo inspexisse videntur TERTULLIANUM; & quamvis non idem, quod ego, inferant; quin & typi vitium occurrat illic, cum lib. I. de præscript. adducunt, qui non nisi unicus est (videat VIR CLARISSIMUS, quam nec meis, mihi que carissimis parcendum censeam) verisimilitudinem tamen illationis meæ agnovisse, quando subjiciunt: "Siquis vero credere mallet, TERTULLIANUM revera credidisse POLYCARPUM primum fuisse (*nempe a JOANNE*) Episcopum Smyrnesem, CLEMENTEM vero primum PETRI in Romana Ecclesia Successorem, dicen-

“dicendum esset, TERTULLIANO non satis fuisse perspectum ordinem Episcoporum utriusque Ecclesiae, dum illa scripsit.”

Regredior nunc ad VIRUM CLARISSIMUM; atque ex textu truncato, & particula: *sicut*, multato pro se argumentantem: “Comparatio, ait, inter JOANNEM, POLYCARPUM, & Smyrnæorum Ecclesiam instituta evincit, CLEMENTEM à PETRO Ecclesiae Romanae praefectum fuisse.” Vidimus, comparationem, si in rigore loquimur, non fecisse TERTULLIANUM, sed exemplum ab utraque Ecclesia cepisse ad ostendendum, quomodo Ecclesiae Apostolicae census suos deferant, ordinemque successionis ab initio auctore aliquo, & antecessore Apostolo decurrentis, evolvant. Quid igitur inferendum? an POLYCARPUM primum fuisse, qui auctore, & antecessore JOANNE Smyrnæorum rexerit Ecclesiam; imo ab ipsomet JOANNE ea in sede conlocatus fuerit? Imo vero hoc ipsum est, quod ex TERTULLIANI colligebam verbis. An similiter CLEMENTEM, & quidem omnium primo, auctore, & antecessore PETRO, Ecclesiae Romanae praefectum, ita ut PETRUM inter & ipsum nullus intersit alius Romanae Ecclesiae Episcopus? quantum hoc obesset causae VIRI CLARISSIMI, qui duos interponit LINUM, atque CLETUM ab eodem PETRO ad Ecclesiae Romanae gubernacula sublato! posceret tamen istud comparatio; imo posceret comparatio tam exacta, in qua PETRUS JOANNI, POLYCARPO CLEMENS, Romanorum illi, quae est in Smyrnis, Ecclesia opponitur. Posceret, inquam, ut, quemadmodum iudicio CLARISSIMI VIRI JOANNES primus extitit Smyrnæorum Episcopus, & PETRUS Romanorum primus; ita primus utrimque, POLYCARPUS JOANNIS, PETRI CLEMENS (si nempe TERTULLIANI sensum inquirimus, eoque stare, aut ex illo arguere volumus) Successor agnosceretur. Aut an forte non putat ipse primum fuisse JOANNEM, qui Smyrnæorum Ecclesiae Episcopatum particularem gessit? non enim omnium, quas fundabant, quasque ad tempus regebant Apostoli, Ecclesiarum Episcopatum particularem adhibere censendi sunt: quot enim hoc pacto Episcopatus particulares, quot Cathedrae, quot Sedes singulis erigendae forent Apostolis! quot PETRO praeter Antiochenam, & Romanam (addam, quoniam hic nihil interest) praeter Alexandrinam quoque, & Jerosolymitanam, si

quibus ita placeat! quot PAULO gentium Apostolo! quot JOANNI, qui, ut author est Hieronymus in Lib. de Scriptoribus Eccles., *totas Asiae fundavit; vexitque Ecclesias!* Verum si ita putat ipse, negatque ex TERTULLIANO consequens esse, JOANNEM primum fuisse Episcopum particularem Smyrnæorum; videat, ne non id quidem consequens sit ex Tertulliano, primum Romæ particularem Episcopum fuisse PETRUM. Atque ego quidem, si illo solum ex TERTULLIANI loco consecutio facienda esset, re ipsa neutrum consequi affirmo. Nimirum Author, & Antecessor Apostolus, qui primum quempiam Ecclesiæ particulari præficit, quamvis esse possit illius Ecclesiæ particularis Episcopus, quod idoneis aliunde argumentis tunc firmandum erit, at non semper est, non necessario: neque idcirco *auctoris*, vel *antecessoris* nomine, quo hæc sensu vocabula Tertullianus capit, carere debet. *Auctor*, & *antecessor* TIMOTHEO extitit PAULUS, quem Ephesiorum ordinavit Episcopum: num quis propterea PAULUM Ephesinæ Ecclesiæ primum fecit Episcopum, puta *proprie*, vel qui ejus Ecclesiæ particulari Episcopatu sese addixerit? ordinavit & TITUM, quem Cretensium præfecit Insulæ: an Cretensium idcirco Episcopatum primus gessisse dicitur? Absit tamen, ut, cum ad eum ista modum disputo, iniquior aliquis me adsentiri putet Jansenistæ anonymo (Noverit hunc procul dubio VIR CLARISSIMUS, ut argumentum libri ante biennium editi necesse non sit proferri) dum hanc ille sibi visus est facere posse consecutionem: "Ex hoc textu patet Apostolos a TERTULLIANO non reputari ut primos Ecclesiarum, quas fundaverant, Episcopos; ab eodemque speciatim pro primo Romæ Episcopo haberi CLEMENTEM a PETRO, ut putabat, ordinatum." pag. 352. Non adsentior sane: quia, uti non AFFIRMANTEM propositionem auctoris alicujus, vel antecessoris Apostoli Episcopatum ea in Ecclesia, cui post se primum dedit Episcopum; ita neque NEGANTEM illo solo ex textu, quippe qui ad utramque sese perinde habeat, colligendam duco.

Sed video, quid potissimum sit cordi VIRO CLARISSIMO: Id ad minimum colligi autumat ex TERTULLIANO: uti a JOANNE conlocatus est Smyrnæorum in Sede POLYCARPUS, adeoque certissime tunc vixit JOANNES, & non extitit illius Ecclesiæ Episcopus,
PO.

POLYCARPUS dum esse cœpit; ita quoque Romanorum Ecclesiæ præfectum ab ipsomet PETRO CLEMENTEM fuisse, & hunc jam solum Episcopum, dum Episcopatum sibi a B. PETRO traditum consecutus fuisset. At neque hoc quomodo ex textu eruatur, intelligere possum. Si vivente PETRO & proprie Romanæ urbis Episcopum, & quem PETRUS ipse præfecerit, CLEMENTEM voluit TERTULLIANUS; cur igitur non *uno balitu* dixit: *Sicut Smyrnæorum Ecclesia JOANNEM a POLYCARPO, & Romanorum CLEMENTEM a PETRO conlocatum refert?* cur alio usus est verbo, illum ut *conlocatum*, hunc *ordinatum* diceret? idemne est *conlocari*, & *ordinari*? & quamvis idem esse possit, quod ex adjunctis determinandum, velut cum HIERONYMUS in POLYCARPO ait, eum esse *Smyrnensis Ecclesiæ Episcopum ab JOANNE ordinatum*; num propterea idem hoc, qui adducitur, loco? Quam multi ordinantur, seu manuum impositionem accipiunt eo ab Episcopo, cujus nec tunc, nec postea unquam in Episcopatu particulari Successores evadunt? Nunquid, quos Apostoli reliqui ordinabant Episcopos, eos semper in particulari Ecclesia, si cui se addixissent, nacti sunt Successores? Satis erat ad TERTULLIANI scopum, si modo exemplis monstraret, qua ratione *Ecclesiæ Apostolicæ census deferrent suos*, seu consignarent origines. Ad hunc scopum valere credidit ea, quæ profert, POLYCARPI scilicet a JOANNE in Smyrnæorum Sede locati, & CLEMENTIS ordinati a PETRO. Valebant etiam ambo, si modo Smyrnensium ille primus a JOANNE, & hic primus a PETRO Romanorum Episcopus esset, sive jam a vivente Petro istam immitteretur in Sedem (quod diserte non exprimit, atque, ut puto, falsum habet TERTULLIANUS) seu ordinatus eo, ut succederet, sine, in illam vacuum a PETRI morte ingrederetur.

Pergit CLARISSIMUS: "Tunc igitur, vivo adhuc Petro, jam decesserant *Linus, & Cletus*, qui pariter *tempore Petri* Romæ fuerant Episcopi successivi." Hoc an ex solo infert TERTULLIANI textu? an simul ex basi sua, quam ibidem præmittit ex EPIPHANIO, hanc volensnectere cum verbis TERTULLIANI? an ex his, simulque omnibus, quæ præmiserat de IGNATIO Martyre, Catalogo COLBERTINO, & EUSEBIO Cæsarensi? Nam sequentia: *hoc tenuit*
Secu-

Sæculo IV. Ruffinus &c. confirmationis duntaxat gratia sunt adjecta, quæ argumenti jam ex integro formati vim, ac connexionem supponunt. Si primum; inepta valde est, & incohærens illatio. TERTULLIANUS num quid dixerat de LINO, & CLETO? Num dixerat id, ambos pariter fuisse *Romæ tempore D. Petri Episcopos successivos*? Atqui CLEMENTEM a PETRO primum Romæ Episcopum statuit TERTULLIANUS, LINUM aut ignoravit, aut nonnisi PETRI adjutorem habuit: talisque si fuerit, sive vixerit, sive decesserit LINUS, cum Episcopatum adiit CLEMENS; nihil hoc interesse potest, ut suum stet pondus dicto *Tertulliano*. Atque idem est de CLETO, nisi hic forte subjungendus est creditus CLEMENTI, uti in Catalogis a se productis subjunctum exhibent HENSCHENIUS, & PAPEBROCHIUS: quod quis divinnet, quamdiu ipse silet TERTULLIANUS? Si alterum; cedo: quod hoc genus consequentiæ? Epiphanius ita ordinat successionem: *Petrus, Linus, Cletus, Clemens: Tertullianus ordinatum a PETRO CLEMENTEM refert: ergo LINUS, & CLETUS jam decesserant, qui pariter tempore PETRI Romæ fuerant Episcopi successivi.* An consentit EPIPHANIO TERTULLIANUS? an dissentit? si consentit; igitur a semetipso dissentiat necesse est, qui & LINUM, & CLEMENTEM primum PETRI Successorem putarit. Si dissentit; quæ vis poterit esse illationis ejus, quæ ex discrepantibus amborum sententiis non modo salvare vult assertam ab EPIPHANIO successionem; sed etiam LINI, & CLETI anteriorem CLEMENTIS successione mortem, tum utriusque, temporibus D. Petri, *Episcopatum successivum* in tuto ponere adlaborat? aut an forte illatio ista corollarium est præcedenti illationi, quæ ex pertensa comparatione deducebatur, subnixum; quo pacto Mathematicis in disciplinis non raro corollaria invicem subnecti solent? ostendi præcedentem illam non substituisse; igitur ejus, quæ illi tanquam *substrato* nititur, haud secus elisa vis erit. Si denique tertium; præoccupata jam sunt omnia, ut, si neque IGNATIUS faveat Martyr, neque Catalogus ille COLBERTINUS, neque EUSEBIUS, neque nunc aut EPIPHANIVS, aut TERTULLIANUS; super his simul omnibus conclusio VIRO CLARISSIMO propitia ædificari non possit. Hæc de TERTULLIANO.

§. IX. Sequitur alter e Latinis RUFINUS. Verba sunt producenda primum, tum danda crisis. "Hoc (nempe utrumque, quod CLARISSIMUS ex TERTULLIANO collegit)" tenuit sæc. IV. *Rufinus*, Presbyter Aquilejensis præfat. in 10. libros Recognitionum S. Clementis, ubi: *quidam enim requirunt, quomodo, cum LINUS, & ANACLETUS in urbe Româ ante CLEMENTEM hunc fuerint Episcopi, ipse CLEMENS, ad Jacobum scribens, SIBI dicat à PETRO DOCENDI CATHEDRAM TRADITAM: cujus rei hanc esse accepimus rationem, quod LINUS, & ANACLETUS fuerint quidem ante CLEMENTEM Episcopi in urbe Româ, sed SUPERSTITE PETRO, videlicet, ut illi Episcopatus curam gererent, ipse APOSTOLATUS implet officium: Et hoc modo UTRUMQUE VERUM videbitur, ut & illi ANTE CLEMENTEM numerentur Episcopi, & CLEMENS tamen POST OBITUM PETRI docendi suscepit sedem.*"

Hic quid prius dicam, quid posterius; vix invenio. Inspexi præfationem RUFINI: non: ANACLETUS, sed CLETUS; non: ESSE ACCEPIMUS, sed: ACCEPIMUS ESSE; non: FUERINT, sed FUERUNT, inveni: prorsus autem desideratur particula: VIDELICET, quam velut ad textum pertinentem characteris ejusdem, qui in aliis RUFINI verbis conspicitur, adhibita forma ostendit. Desiderantur hæc quoque verba: *Sicut invenitur etiam apud Cæsaream fecisse: ubi, cum ipse esset præsens, Zachæum tamen a se ordinatum habebat Episcopum: quæ vel adponi debuerunt post illa: APOSTOLATUS implet officium, vel textus abrupti, aut intercisi signum consuetum adjici, quod factum non fuit.* Hæc eo tantum pertineant, ut dijudicent alii, an RUFINUM præ oculis habueris VIR CLARISSIME, an ex eo citata verba transcripseris; quod qui facit, ne ordinem quidem is mutat verborum, nihil interferit de suo, nisi quod valeat dignosci; in nominibus autem propriis, ac controversiæ subjectis, num eandem rem, vel personam signent, id cavet solícite, ne unum pro alio substituatur; denique si abrupti, si intercidi textum, consueto Lectorem signo monere non prætermittit.

Cur autem callide dissimulas Libros 10. recognitionum non esse S. CLEMENTIS? Cur illud quoque: apocryphas & prorsus supposititias

fitias esse epistolas ejusdem ad JACOBUM fratrem Domini? an nescisti hæc? nempe qui scis, quidquid ex ISIDORI officina falsarum uspiam est decretalium Romanis Pontificibus, & nominatim huic etiam S. CLEMENTI inscriptarum: qui legisti, quæ disputat NATALIS H. E. Sæc. I. cap. XII. A. XII. adversus epistolas, & A. XIII. adversus hos ἀναγνωριστικῶν libros, & NATALI, si sapias, hac in parte dissentire non voles: qui, ut critice profiteris, atque in IGNATIO Martyre discrevistis tam pulchre, quid genuinum, supposititium, aut dubiæ fidei sit habendum, utique alterutrum sentire debuisti, ut utrumque illum scerum, quem pro genuino habere non possis, vel dubiæ fidei, vel suppositis plane Patrum operibus adnumerandum duceres. An imponere volebas Lectori, ut, cum Scriptorem tam antiquum, & HIERONYMO coævum præfari legeret in *recognitionum* libros, cum mentionem cerneret fieri epistolæ CLEMENTIS ad JACOBUM scriptæ, cum CLEMENTEM ipsum ea in epistola dicentem audiret, SIBI A PETRO DOCENDI CATHEDRAM TRADITAM; cura jam omni, quid de libris, quid de epistola sentiendum foret, exemptus, RUFINI & nomine, & autoritate satis se tutum existimaret? Nempe sic fallere voluisse turpius etiam foret, quam ignorasse: neque hanc nomini vel officio tuo maculam iniustam voles. An nihili tuæ interesse ducebas, ut suppositionem, quam scivisti, proderes, ideoque integrum tibi es fore ratus, ut *recognitionum libros* sub solita epigraphæ, & RUFINI ex præfatione verba suo in ordine sine interjectis, vel subjunctis scholiis adduceres, quibus, quid rei sublit, lectores improvidi sæpe, minusque rerum istarum solliciti admonerentur? Imo vero nihili hoc intererat tua, sed causæ operat plurimum, aliter si fecisses. Etenim cum sic vidisset Lector & deceptum RUFINUM, cum *recognitionum libros* S. CLEMENTI tribuit, & deceptum quoque, cum eidem adjudicat epistolam ad JACOBUM, & unice huic subnixum epistolæ ea invicem conciliare, quæ aliunde pro compertis habita pariebant difficultatem, nec cum epistola componi posse videbantur; hæc, inquam, cum videret Lector, RUFINI quidem ex autoritate argumentum formari nullum, aut perexigui illud ponderis intellexisset; imo tantundem esse, ac si RUFINUS productus non fuisset. Adverterunt id antè me Viri summa cum laude memorandi

Hagio-

Hagiographi Antverpienses, cum ad objectam hanc sibi, pluribusque adductam verbis præfationem RUFINI, subjiciunt illico: " *Ita Rufinus, ut epistolam supposititiam Clementis ad Jacobum conciliet cum opinione Romanorum de primis Pontificibus. Verum cum epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini manifeste sit supposititia;* " *veniam quidem meretur Rufinus, sed auctoritatem habere hic nequit. Etenim cum ratio ipsius unice ex assertis illius epistolæ videatur petita; Rufinus majorem fidem non meretur, quam ipsa epistola supposititia, quam imperite pro authentica obtrusit.* Tom. 6. Septemb. in Lino." Hæc isti. Quid igitur concludam? nempe hoc: valere pro se VIR CLARISSIMUS RUFINI voluit auctoritatem: verba ipse valere voluit, quæ prout ad propositum magis, minusve facere viderentur, majori etiam, minorive caractere distinxit: igitur dissimulandum saltem, tegendumque fuit solcite, unde auctoritas elideretur, verbisque omne pondus deficeret.

Agerem non callidæ solum dissimulationis, sed etiam fraudis reum, cum CLETUM in ANACLETUM mutasti, si RUFINUM abs te crederem inspectum. Nam non casu istud, non præeunte alterius deceptione, sed de industria tunc factum appareret, ut RUFINUM iis, qui non fecernunt a CLETO ANACLETUM, adjungeres. Agerem reum, quod verba suppresseris illa: *Sicut invenitur &c.* Non enim tunc suppressurus eras, si favere tibi existimares: & favissent aliquantum, si hoc exponeres modo: uti ZACHÆUS verus fuit Cæsareæ Episcopus, præfente licet PETRO, nec PETRUS, quamvis præfens, Cæsareensem gessit Episcopatum, ad quem ordinaverat ZACHÆUM; ita LINUS, & CLETUS, quos Romæ PETRUS ordinavit Episcopos, veri fuerunt Episcopi Romani; & PETRUS, quem aliunde constat iis in Episcopatu præfisse, saltem non retinuit tunc, cum LINO primum, ac post CLETO Episcopatus curam tradidit, ut ipse APOSTOLATUS impleret officium. Poterant autem & nocere, si quis diceret ZACHÆUM hic tantum adduci velut ordinatum a PETRO, & adjutorem interim, dum Cæsareæ moraretur PETRUS: nec si Episcopus evasit Cæsareæ, id factum prius, quam PETRUS abiens hanc illi cathedram stabiliter consignarit. His utrimque adductis, si nihilominus suppressenda putasses verba, nocere saltem ma-

gis, quam favere credidisses, nec proinde suppressio a fraude liberari posset.

Dices nunc mihi, VIR CLARISSIME! id tamen manere verum, quod asserueras: nempe HOC, quod ex TERTULLIANO vel solo, vel aliis suffulto præsidis colligebas de obitu LINI, & CLETI, antequam moreretur PETRUS; item de horum *Episcopatu successivo*, successione quoque CLEMENTIS vivo adhuc PETRO facta, tenuisse RUFINUM AQUILEJENSEM illum PRESBYTERUM. Dare id possum, quod dicis de obitu LINI, & CLETI; quamvis ex RUFINO haud quaquam sit consequens. Nam verba illa: *Superstite Petro*, non id necessario significant, PETRUM LINO, & CLETO superstitem fuisse, vel ambobus illis supervixisse, cum & hunc commodum habeant sensum: duos illos *Episcopos* fuisse in urbe Roma (id est: ordine *Episcopatus* donatos) quo tempore *superstes in vivis* exiit PETRUS, imo ante CLEMENTEM hoc consecutos esse, ut *Episcopi* fierent: id quod totum subsistere potest, atque etiam cum eo, quod *Episcopatus* ipsi *curam* gesserint, quamvis non modo non iis superstes PETRUS, sed ipsi potius PETRO superstites vixerint. Dabo tamen, & plane gratis hoc tibi unum, ne nihil largitus videar: cum in ceteris RUFINO prorsus aliam insedissem mentem non jam probabo, sed demonstrabo; quin etiam secum ipso, & ad evidentiam pugnantem exhibebo RUFINUM, tibi si consensisse statuis.

Audiamus primo, quid PSEUDO-CLEMENS in epistola prima ad JACOBUM (& hæc illa est, qua RUFINUS nititur) circa se contigisse narret: "*In ipsis autem diebus (quibus vitæ finem (PETRUS) sibi imminere præsensit) in conventu fratrum positus, apprehensa manu mea repente consurgens, in auribus totius Ecclesie hæc protulit verba: Audite me fratres, & conservi mei! quoniam, ut edoctus sum ab eo, qui misit me, Domino, & Magistro meo JESU CHRISTO, dies mortis mee instat; CLEMENTEM hunc Episcopum vobis ordino, cui SOLI meæ prædicationis, & doctrine cathedram trado.*" NB. Hæc prope omnia, quamvis non consuleres Epistolam, & speciatim postrema, in quibus potissima vis est, legere poteras eadem Causa VIII. eadem quaestione prima, Canone mox post famosum tuum altero. An legisti? vix dubitare possum. Videamus nunc, quid difficul-

ficulatem moverit RUFINO, epistolæ quoque illius interpreti : sunt, ut liquido apparet, ea verba : *cui SOLI meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado.* Ex quibus inferre licet : ergo *prædicationis, & doctrinæ cathedram* eo usque retinuit PETRUS ; ergo nemini alteri, præterquam CLEMENTI, tradidit. Sed quomodo hoc conciliabitur cum eo, quod LINUS, & CLETUS ante CLEMENTEM enumerentur Episcopi ? En nodus, quem dissolvendum suscepit RUFINUS ab iis verbis : *cujus rei hanc accepimus esse rationem.* Inspiciamus jam denique, ac plane demontremus, nec consensisse RUFINUM (prætermisso illo, quod gratis dedi) VIR CLARISSIME ! tibi, nec consentire potuisse. Edic : quid est *prædicationis* illa, & *doctrinæ*, vel, ut uno verbo RUFINUS in præfat., *docendi cathedra*, quam sibi, & NB. SOLI CLEMENS a PETRO traditam ait ? an quid aliud, quam Cathedra Episcopalis ? an Episcopalis alia, quam Romana ? an aliud Cathedra Episcopalis Romana, aliudque Episcopatus Romanus ? Sed quid sciscitari est opus ? *docendi cathedra*, vel ipso te judicante, illud est, quod CLEMENS sibi a PETRO etiamnum vivente traditum accepit, posteaquam nempe jam LINUS, & CLETUS diem suum obiissent ; est *Præfectura Romanæ Ecclesiæ* non qualiscunque, sed in omni rigore *Episcopalis*. Nam ita sensit TERTULLIANUS : hoc, quod ille, tenuit RUFINUS : & uterque id, quod CLEMENS : RUFINUS duntaxat in exponendo, quomodo cum LINI, & CLETI Episcopatu pariter *rigoroso*, & ante CLEMENTEM gesto res ista concilietur, laborat. Hæc tua, VIR CLARISSIME ! sententia. Fixum ergo, firmumque sit *docendi cathedram* esse Episcopatum Romanum. Atque ut rursus ex propriis tuis tecum agam ; nunquid *sedere* jam ceperat CLEMENS, dum *Ss. Ap. stoli Romæ subierunt martyrium* ? Si ceperat ; igitur in CATHEDRA : nam sessio sine *cathedra* cogitari non potest. Si autem in *cathedra* ; an in alia, præterquam Romana, sive ista, in qua primus sederat Apoitolorum Princeps PETRUS ? Imo si ex contextu Clementinæ epistolæ arguere vellem ; evidens facerem, ea de cathedra sermonem esse, quæ jam tum alligatum habebat, ac semper habitura fuit *Primum*, & quam si traderet PETRUS, *Primum* una tradi significaret. Sed malo hic argumento uti, quod vocant *ad hominem* : ex concessis, inquam, abs te, qui statuis *Primum*

PETRO vivente nulli adhucdum Ecclesiæ, adeoque nec Cathedræ uni certæ, ac stabili affixum, qui nihilominus PETRO Cathedram tribuisti, & hanc Romæ, & plures in eadem Romæ cathedra, & inter hos quoque CLEMENTEM ipsum *Petro etiamnum superstite* successisse apertis omnino verbis prodidisti, arguere malo, ut firmum inter nos illud, atque inconcussum maneat, *docendi cathedram*, quidquid ei seu colligatum fuerit, seu non fuerit, esse Episcopatum Romanum, & esse ex ipsius etiam mente RUFINI. Ex hoc autem velut jam axiome inter nos constituto, cui hoc aliud addo, atque æque ex mente RUFINI certum: adire Episcopatum Romanum est *docendi suscipere sedem*, sic mathematica progredior methodo.

Prop. 1. PETRUS Episcopatum Romanum tradidit CLEMENTI, & quidem SOLI. Nam CLEMENTI & quidem SOLI tradidit *docendi cathedram*. Et hæc idem, quod Episcopatus Romanus: ergo.

Prop. 2. PETRUS retinuit Episcopatum Romanum, saltem usque dum tradidit CLEMENTI: Nam eo usque retinuit *docendi cathedram*, quæ est Episcopatus Romanus; & hanc SOLI tradidit CLEMENTI: igitur ante CLEMENTEM nulli: igitur retinuit.

Coroll. 1. Falsum est LINUM & CLETUM ante CLEMENTEM fuisse *Episcopos successivos*, scilicet in sensu VIRI CLARISSIMI, PETRO non tunc amplius retinente *Episcopatum Romanum*, sed solum *Apostolatus Primatum*, falsum, inquam, id tenuisse RUFINUM. 2. Igitur quod ait RUFINUS, eos *ante CLEMENTEM Episcopos in urbe Roma fuisse*, id de Episcopatu hoc *successivo* intelligi non potest. 3. Igitur nec illud, eos *superstite PETRO Episcopatus curam gessisse*.

Prop. 3. CLEMENS post obitum PETRI adiit Episcopatum Romanum. Nam post obitum Petri *docendi suscepit sedem*. Et hanc suscipere idem est, quod adire Episcopatum Romanum: ergo.

Coroll. 1. Quod RUFINUS ait de *traditione Cathedræ a PETRO vivente facta*, id eo intelligi nequit, ut jam tum adierit Episcopatum CLEMENS. 2. Igitur & potest, & debet sic intelligi, quod PETRUS, cum jam mortem suam propius instare cerneret (*ex epist. Clementis*) hunc designarit quidem, proposuerit, ordinarit, qui succederet, aut, ut aliter rem dicamus, quod testamento quidem (sed hoc nonnisi *in mortuis firmatur*) Episcopatum tradiderit, non autem cum *abdicatione propria*, vel *pleno*, quod

quod ajunt, *jure* in eum vivus immiserit. 3. Igitur RUFINUS non tenuit CLEMENTEM vivo adhuc PETRO successisse, scilicet in sensu VIRI CLARISSIMI. Q. E. D. Potest nunc alterum illud, scilicet RUFINUM secum ipso, & ad evidentiam pugnasse, si VIRO CLARISSIMO consensisset, breviter expediri. Nempe sic arguo: pugna evidens est CLEMENTI SOLI, & non SOLI traditum a PETRO esse Episcopatum Romanum; pugna evidens Episcopatum adisse post obitum, quem jam tum vivente PETRO plenissime sit consecutus. Atqui hæc unus, idemque asseruisset RUFINUS: pugnaret igitur secum ipso, & ad evidentiam, si VIRO CLARISSIMO consentiret. Q. E. D.

Supereff, ut nunc ipse interpreter RUFINUM, genuinumque ejus sensum Lectori ob oculos ponam. Interpreter vero ad hunc modum: quod LINUS, & CLETUS fuerint quidem *Episcopi in urbe Roma* (quemadmodum nunc est Augustæ Trevirorum ILLUSTRISSIMUS HONTHEMIUS) sed *superstite PETRO* (sicut *superstite* etiamnum SERENISSIMO CLEMENTE WENCESLAO, *superstite* etiam ipsi, si ex annis conjectare licet, futuro, est idem HONTHEMIUS) *ut illi Episcopatus curam gererent* (sed vicariam, quemadmodum eam, quæ est in Pontificalibus, nunc Treviris gerit HONTHEMIUS, & quondam utramque in Pontificalibus scilicet, & Spiritualibus conjunctam tenuit ILLUSTRISSIMUS EYSSIUS pro merito, ac summo opere in Trevirorum Historia diplomatica commendatus ab HONTHEMIO) *ipse Apostolatus impleret officium* (quod perperam interpretatur CLARISSIMUS *Primum Apostolatus*, cum potius missionem signet illam omnibus ex æquo Apostolicis communem, qua prædicare ubique, ubique Ecclesias fundare, & instituere &c. jubebantur: nam fuit omnibus suum *Apostolatus* officium, illudque *pro rata* singuli impleverunt). ET HOC MODO UTRUMQUE VERUM VIDEBITUR; *ut & illi ANTE CLEMENTEM numerentur Episcopi* (Vicarii in sensu jam exposito) & CLEMENS tamen POST OBITUM PETRI *docendi suscepit sedem* (quam nunquam ex RUFINO consecuti sunt LINUS, & CLETUS, sicuti sæpissime non consequuntur, qui modo sunt Episcoporum Vicarii, vel quia ipsi decedunt prius, vel quia in defuncti Episcopi locum non eos eligi contingit) *suscepit*, inquam, primus *in rigore* post D. PETRUM, & quidem non nisi post ejus obitum

tum

tum Romanorum Episcopus; quamvis a vivente adhuc PETRO Episcopatum cum velut testamento sibi traditum habuerit. Nullum recusum, qui judicare possit, hujus interpretationis Judicem.

§. X. Expeditis hunc ad modum latinis, quos tam confidenter causæ suæ patronos adscivit VIR CLARISSIMUS, ordo nos ad græcos provexit Patres EPIPHANIAM, & IRENÆUM. EPIPHANIAM quantum pro ipso militet, hoc primum constituamus. Ac certe non magnum hoc a duce præsidium sibi auguratur. Systema enim suum quando proposuit ex RUFINO, TERTULLIANO, & si hoc ei concedere fas sit, ex præcedentibus simul omnibus collectum; jam tunc lucri aliquid se retulisse credit, dummodo illud non rejiciat EPIPHANIAM. Equidem rejectum fuisse, quo id supra modo in RUFINO præstiti, sic quoque isthic ad evidentiam demonstrabo. Sed sequamur tantisper VIRUM CLARISSIMUM.

"Hoc, inquit, systema S. Epiphanius loc. cit. non rejicit." Locus autem, ut ab ipso citatus, ex Hæresi 27. sic habet: "ATTAMEN
"Episcoporum in Româ SUCCESSIO hanc CONSEQUENTIAM
"habuit: PETRUS, & PAULUS, LINUS, CLETUS, CLEMENS,
"EVARISTUS." Quo adducto jubet omnino videri EPIPHANIAM.
"Commode profecto accidit, quod jubenti obtemperarim.
Sed ane ipse fecit, quod jussit? Addit: "Successionem quidem unius
"post alterum positivè adstruxisse: tempus autem prudenter in me-
"dio reliquisse." Primum conceditur ei: alterum, sive per *tempus* in-
telligat definitum illud, id est, *Chronotaxin*, sive indefinitum, ut si
queratur, an PETRO vivo, an mortuo Episcopatum adierit LINUS,
una eademque opera falsitatis convincet demonstratio mea.

Redeamus ad locum, a quo digressi sumus. Proponit mox VIR CLARISSIMUS objectionem, quæ formari posset adversus *Successionis substantiam*, ita solutam ab EPIPHANIAM: "Et nemo miretur, quod
"ante ipsum (Clementem) alii Episcopatum assumpserint: cum sub Apo-
"stolis hic fuerit contemporaneus Petri & Pauli; nam & illi (CLE-
TUM intelligit, & LINUM) "contemporanei Apostolorum fuerunt."
Admittitur solutio, & ut satis apta, dummodo per *successionis substantiam* haud aliud, quam Personarum successionem VIR CLARISSIMUS intel-

intelligat. Si enim præconceptam hypothefin de fucceffione viventi PETRO facta hic immifcere vellet; obftabit, quam fum pollicitus, demonftratio. Eft autem apra fatis illa folutio, quoniam haud ægre id aftequetur quis, ex tribus PETRO contemporaneis, eorum quemque, fervato inter fe ordine, etiam poft illius obitum fuccedere potuiffe.

Profequitur citationem: " *Sive igitur, ADHUC IPSIS (Lino & Cleto) SUPERSTITIBUS, à Petro accepit (Clemens) impositionem manuum Epifcopatus, five POST APOSTOLORUM SUCCESSIONEM à CLETO Epifcopo hic conftituitur, NON ITA CLARE SCIMUS.*" Huic textui glosfa fubnectitur: " agnofcit, & profitetur (*Epiphanius*), non efle ita clarum, an *S. Clemens* à Petro fuerit ordinatus, *vivis adhuc Lino, & Cleto*; an autem *modò poft illam fucceffionem*, quâ *Linus, & Cletus* pervenerunt ad Epifcopatum Romanum, atque adeò poft Apoftolorum tempora, ordinem Epifcopalem acceperit à *Cleto*." Verum ex parte afserit VIR CLARISSIMUS; partim autem vel ignorantia, vel præcipitationis tenetur reus (nam dolum quis fufpicari poffit?) fi perfuadere voluerit, EPIPHANIUM eam agnoviffe fucceffionem in LINO, & CLETO, quæ viventi fit facta PETRO; hæfitaiffe autem duntaxat, an *vivis Lino & Cleto* per ipfum PETRUM; an potius a CLETO, quem PETRUS fupervivitem fibi habuerit, ordinatus fit CLEMENS. Nam primum non fubfiftere, planiffimum faciet demonftratio.

Pergit citare amplius: " Veruntamen etiam hic (Cletus) potuit, SUPERSTITIBUS ADHUC APOSTOLIS, Petro videlicet & Paulo, alios Epifcopos conftituere, propterea, quòd Apoftoli fæpè ad alias terras ablegabantur propter Chrifti prædicationem: NON POTUIT AUTEM URBS ROMA SINE EPISCOPO ESSE; Paulus enim in Hispaniam profectus eft, Petrus verò Pontum, & Bithyniam fæpè numero peragravit." Glosfa hic fubjecta eft: " meam fententiam proponit (*Epiphanius*), tanquam id afferentem, quod etiam fieri potuit." Tuamne, inquam ego, fententiam ifthie proponit EPIPHANIUS? In quibus ergo verbis? An quòd *superstitibus adhuc Apoftolis* Epifcopos potuerit conftituere CLETUS? At hoc potuit, dummodo ordinem haberet Epifcopalem, quamvis PETRI

E

IN

IN EPISCOPATU SUCCESSOR necdum existeret; imo quamvis eidem conviveret LINUS, & ipse eodem Episcopali caractere donatus, & ambo tunc, eodemque tempore nonnisi PETRO ab auxiliis forent. An quod URBS ROMA ESSE NON POSSET SINE EPISCOPO? An quod *Pontum sepe, & Bitbyniam peragraverit PETRUS?* an in utrisque istis: eo quod scilicet PETRO sæpius absente carere interim non posset Roma Episcopo, qui ea, quæ sunt Episcopalis tum Ordinis, tum officii alterius, ut prædicationis, jurisdictionis, & quæ istius sunt generis, administraret? miserum argumentandi genus, & huic simile: Si quando contingat, ut SERENISSIMUS CLEMENS WENCESLAUS Augustanum suum migret in Episcopatum, præsertim si vel necessitas, vel utilitas longiorem illic moram requireret, carere interim non potest urbs TREVIRORUM, & multo minus vastissima ejusdem nominis ARCHIDIOECESIS Episcopo, qui ea, quæ Episcopalis sunt muneris, atque ordinem saltem Episcopalem requirunt, administret. Ergo signum id est, SERENISSIMUM celsisse Archiepiscopatu; signum quoque & Successorem ei datum fuisse, & dari debuisse. Apage. De cetero rursus ad demonstrationem provoco, quæ clara ponet in luce, ne somniasse de hoc quidem EPIPHANIUM.

Ultimus sic sonat textus: "Ac fieri sanè potuit, ut PRIMUM CLEMENTE CONSTITUTO, cum recusaret Clemens (SI MO- DO SIC FACTUM EST; rationem enim sic in eo, non decerno) POSTEA POST OBITUM LINI, & CLETI, quorum uterque Episcopatum ad duodecim annos tenuit, POST S. PETRI, & PAULI OBITUM, qui contigit DUODECIMO ANNO NERONIS, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum." De industria sic distinxi textum majori, minorive caractere, commatis etiam ipsis, sicut distinguebat CLARISSIMUS: sed unum comma fatale est ipsi, totiusque deceptionis origo, non dicam, qua decipere alios voluerit, sed qua deceptus ad minimum ipse sit, ut ostendet demonstratio.

Subjicitur: "Hic eorum refert sententiam, qui *Clementem à Petro* designatum esse successorem, & sic *Secundum* extitisse autumant, *de signatione* quidem, sed non *eventu*, quia *Clemens* recusasset." Ego vero

vero priusquam ad demonstrationem progrediar, hoc advertendum habeo. Major typus in his verbis: *ut PRIMUM CLEMENTE CONSTITUTO*; majorque iterum in istis: *SI MODO SIC FACTUM EST*, ἐπεγεραυ non hoc quidem evolutam loco, sed tamen §. VIII. apertius se prodentem exprimit, ubi hæc lego: quod *multi crediderint*, Clementem à S. Petro propè exitum vitæ successorem sibi designatum esse, sed rem mali exempli (ex hoc potius cense fabulam, Petro utique istud non daturò) displicuisse Clero, Populoque Romano, cui S. Clemens cesserit, electis Lino, & Cleto, quibus modo defunctis electus sit tertio post Apostolos loco.

CLARISSIME! si hoc potius fabulam habeas, CLEMENTEM a S. Petro prope exitum vitæ successorem sibi designatum esse, cur citasti RUFINUM? Cur in RUFINI verbis CLEMENTEM ex epistola ad JACOBUM? Atqui nihil certius, quam hanc in epistola memorari designationem; nihil certius, quam veram illam ab RUFINO habitam. Tibi igitur non hæc fabula videri debuit, si inspiceres authores, si conferres inspecta, ac non pridem jam ea, quæ invicem cohærere non possunt, chartis tuis committere assuevisses. Imo ipse EPIPHANIUS non aliam nisi hanc respexit, ac respicere potuit designationem; nullatenus autem eam, qua PETRUS sibi vivo surrogare primum voluerit CLEMENTEM; sed hoc recusante, surrogavit LINUM, & LINO mortuo CLETUM, ac tandem CLETO etiam superstes surrogavit CLEMENTEM: nam vocat tandem res, ut demonstrem, quam sis lapsus in EPIPHANIO, quamque ne *possibilem* quidem, aut *tolerabilem* tuam ille habuerit sententiam, quam etiam *Systematis*, seu justæ coordinationis nomine honestatam obtrudis. Hoc ut fiat, græcum audire debebimus EPIPHANIUM nativo suo in sermone apertius, quam in latino loquentem. Non autem alium, quam ultimum illum producam textum: ubi quoad ejus fieri poterit, græcis singulis (articulos excipio) latina singula subjiciam vocabula, inconcinne quidem prorsus, ac barbare; quod tamen, ubi eundem servavit modum in Bibliis interlinearibus *Arias Montanus*, mihi vitio verti non debet. Absit, idcirco ut faciam istud, tanquam si te græci hospitem sermonis haberem. Nam quæ suspicio tam sinistra cadat in virum, qui legendo, & arguendo totum peragravit antiquum Latium,

Græciamque? Finis hic tantum est, ut videant omnes, quanta cum fide agam, utque ii etiam, qui prima tantum gustarunt istius linguae rudimenta, vim demonstrationis, ac promissum hujus non inane a me datum fuisse, perspiciant. Loquatur ergo & GRÆCUS, ac GRÆCE nobis jam loquatur EPIPHANIUS.

ἐνεχῶρει δὲ μετὰ τὸ καταστῆναι κλημέντα, καὶ παραιτησασθαι (εἰγε
Fieri poterat vero post constitutum esse Clementem, & recusasse (si tamen
ἄτος ἐπραχθῆ, διανομῆ γὰρ, ἢ ἰριζομαι) ὕστερον μετὰ τὸ τελευτήσαναι
sic contigit: conjicio enim, non definio) postea post mortuos esse
λίνον καὶ κλητὸν ἐπισκοπεύσαντας πρὸς δεκάδυο ἔτη, ἕκασον μετὰ τὴν τῶ
Linum & Cleium Episcopatu functos ad duodecim annos, unumquemque post
ἁγίου πέτρου καὶ παύλου τελευτήν, τὴν ἐπι τῷ δωδεκάτῳ ἔτει νεβανος γενομένην,
Sancti Petri & Pauli mortem, in duodecimum annum Neronis incidentem,
ἔτιον αὐτοῖς ἀναγκασθῆναι τὴν ἐπισκοπὴν κατασχῆναι.
hunc rursus coactum esse Episcopatum suscipere.

Vis, ac velut *axioma* demonstrationis, qua VIRI CLARISSIMI Systema non modo non inter *possibilia* propositum, sed rejectum plane ab EPIPHANIO fuisse, atque hunc S. Patrem de illa tantum successione, quæ a Petro mortuo locum habuerit, loqui conficio, in his continetur verbis: ἐπισκοπεύσαντας πρὸς δεκάδυο ἔτη, ἕκασον μετὰ τὴν τῶ ἁγίου πέτρου καὶ παύλου τελευτήν; ubi cum comma nullum interfit inter ἕκασον & μετὰ; præcesserit autem post δεκάδυο ἔτη, perspicuus hic plane offertur sensus, Linum atque Cleium Episcopatu functos esse ad duodecim annos, sed NB. UNUMQUEMQUE EORUM, seu SINGILLATIM AMBOS post PETRI, PAULIQUE OBITUM, ita ut duodecim post hunc obitum consignentur LINO, totidemque attribuuntur CLETO; atque ut CLEMENS denique post 24. a PETRI morte, vel circiter annos (non enim juxta EPIPHANII hoc quidem loco sensum prius contigisse potest mors CLETI) Episcopatum capessere sit coactus. An concedis axioma? seu an admittis EPIPHANII eum in verbis a me adductis sensum? an admittis quoque perspicuum, neque opinantis, aut dubitantis instar propositum? Ecce igitur rem unico confectam syllogismo: EPIPHANIUS suo loquens ex sensu, perspicue omnino, neque vel hæsitando, vel opinando, tam

tam LINUM, quam CLETUM facit superstitem PETRO, & utrique singillatim duodecim, vel circiter assignat annos, sed a Petri obitu supputandos, quibus Romanam rexerit Ecclesiam, illius Ecclesiae Episcopus. Hoc autem, & qui ita loquens facit, is primo tuum illud Syltēma rejicit. Is secundo in verbis mox consequentibus: *Attamen Episcoporum in Romā successio* (nam inspice EPIPHANIUM, & consequentia videbis esse, quæ tu primo produxeras loco) de illa tantum successione se loqui monstrat, quæ a PETRI morte locum habuerit. Is tertio in præcedentibus nequidem id fieri posse dicit (seu non verisimilium instar, aut tolerabilem loco habuit) ut PETRUS vivus abdicarit Episcopatum; ut duos, sibi que præmortuos in eo Successores LINUM, atque CLETUM habuerit ipse *utrique superstes*. Ergo &c. Q.E.D. Non enim video, quid adversus secundæ propositionis membrum ullum valeas excipere; primam illam, si *absolute*, ac *simpliciter*, ut loquimur, concedendam duxeris. Restat igitur, ut omnem expromas vim tuam adversus *propositionem primam* vel tricando, ut vim *axiomatis* habere non posse videatur; vel negando id quidem sensisse EPIPHANIUM, nedum dixisse perspicue, duodecim illos LINI, CLETIQUE annos a PETRI obitu supputari oportere.

Quid autem tricaberis? Dicesne, quod de supputatione ista constitui, id ad summum velut *possibile*, aut aliorum ex opinione prolatum ab EPIPHANIO fuisse? Teneo te irretitum: non hoc fieri potuit; sed, ut ipse dicis in Thesi sexta, contigit juxta *Epiphanium*, ut mors PETRI, & PAULI in annum *Neronis duodecimum* incideret. Ergo sic contigisse sensit EPIPHANIUS: ergo idem sensit de annis, quos LINO, & CLETO, & utrosque a PETRI morte supputandos, consignat. Sed tamen "*Epiphanius agnoscens suo jam ævo variare opinionones, in suâ definitione contentus fuit successiois substantiâ; (ita te scribere video Thesi XVI. in asterisco)*" extra verò suam decisionem, "*dum refert opinionem ultimam, incidenter immiscet, tam Linum, quàm Cletum sedisse ad duodecim annos, & Petri obitum contigisse duodecimo Neronis anno.*" Subjicis: "*non habet S. Pater hic sibi consentientes omnes.*" En novos, in quos te induisti, castes! EPIPHANIUS, quamvis *incidenter*, de suo tamen, quoniam *non habet hic sibi consentientes omnes*, PETRI mortem ad *duodecimum* refert *Neronis annum;*

num; de suo, quamvis *incidenter*, duodecim illos annos tam LINO, quam CLETO tribuit: ergo & de suo, quamvis *incidenter*, duodecim illos *singillatim* annos a Petri morte computandos docet. Verbo: igitur tota illa incidens propositio: ἐπισκοπευσκντας προς δεκαδυσ ἐτη, ἑκασον μετα την τε ἁγιου πετρου και παυλου τελευτην, την ἐπι το δωδεκατω ἐπι νερωνος γενομενην, & EPIPHANII est, & EPIPHANII sensum exprimit, quamvis in eo non sibi habeat *consentientes omnes*, & vel maxime non habeat te, qui LINI & CLETI Episcopatum successivum in ipsa PETRI tempora conjicis, imo sic conjici posse duce, & authore EPIPHANIO propugnas.

Tricari cum non conceditur; sine, videam, quid possis negando. Negasti, fateor, ac negare debuisti in Thesisibus: negasti, cum verba illa POST S. PETRI ET PAULI OBITUM eo referenda duxisti, ut indicarent CLEMENTEM post hunc obitum compulsam fuisse ad suscipiendum Episcopatum. Et quamvis hoc non diserte sis proloquutus; attamen quid sentias, quid loqui volueris, satis ostendit adhibita illa per te grandior typi species hisce in verbis: POST OBITUM LINI ET CLETI; POST S. PETRI ET PAULI OBITUM: rursumque minor in his: *quorum uterque Episcopatum ad duodecim annos tenuit*: & major in illis: DUODECIMO ANNO NERONIS. Nam hujus rei apparet nulla, atque, ut puto, nec divinari alia potest ratio, quam ut suaderes Lectori, juxta opinionem, quam ibidem EPIPHANIUS profert, obitum LINI & CLETI antecessisse primum, tum secutum esse obitum PETRI & PAULI; quo secuto compulsus demum fit CLEMENS, ut Episcopatum jam pridem sibi, ac præ LINO delatum, sed modeste tunc recusatum, admitteret. Item, ut reflecteret Lector ad verba illa: DUODECIMO ANNO NERONIS, in quem juxta EPIPHANIUM incideret mors Apostolorum: nullo autem pacto hæc: *quorum uterque Episcopatum ad duodecim annos tenuit*; ad sequentia ista: POST OBITUM S. PETRI ET PAULI, vel ad initium supputationis annorum eo ab obitu faciendum pertinuisse dignosceret. Negasse hæcenus te contendi; negare autem & debuisti: nam ipse Systema tuum aperte rejectum, ac ne somnium quidem ab EPIPHANIO prodidisses, si duodecim LINI & CLETI annos eum a PETRI obitu supputasse monstrares. Intererat proinde tua, id ne faceres.

Nam

Nam leve saltem illud *possibilitatis*, ac *tolerantiæ* patrocinium tanto a Viro emendicatum volebas.

Sed non idcirco vel causa cecidi vel animum despondere cogor. Negatur axioma, sed in Thesis tantum; & causam utcumque speciosam negandi deceptorium illud comma, quod conspicietur inter verba: *ad duodecim annos tenuit*, & hæc alia: POST S. PETRI ET PAULI OBITUM, quodque etiam in impressa extare versione *Jani Cornarii Medici* non diffiteor, præstare potuit: ideoque producto a me græco, & cum interpunctionibus suis textu stabiliendum fuit. Hoc autem cum feci; anne adhuc persilites negando, VIR CLARISSIME! Ad omnes igitur, teque ipsum, græcæ linguæ peritos provoco, alium ut mihi sensum eruant, cum sic legitur, scribiturque: *ἐπισκοπεύσαντας πρὸς δεκάδυο ἔτη, ἕκαστον μετὰ τὴν &c.* Et NB. sic legitur, sic scribitur ea in editione, quam publici juris fecit vir maximi etiam apud te nominis DIONYSIUS PETAVIUS Aurelianensis S. J., & NB. sic legitur, sic scribitur, quamvis vel ipsa PETAVII latina versio, quæ paululum in verbis discrepat ab ea, qua usus es (si ramen es usus, & non potius ex alio, quem divinare non possum, ea verba descripseris) consentiat in deceptorio commate. Ecce illam, ut nihil me diligentiae prætermisille putes. *Ac fieri sane potuit, ut primum Clemente constituto, cum is defugeret (si ita tamen contigit, quod ego opinando potius, quam asseverando dixerim) postea Lino, Cletoque mortuis, qui XII. annorum spatio singillatim Episcopatum obtinuerunt NB., post Apostolorum Petri, Paulique necem, quæ in annum Neronis XII. incurrit, tum demum Pontificatum capeffere sit coactus.* Unum tamen adverto ob particulas illas: *tum demum*, non ita facile Petavium comma illudere cuiquam potuisse; quoniam sic planius est, necem illam, quæ in annum Neronis XII. incurrit, eo pertinere, quod dicitur *singillatim* eos (LINUM & CLETUM) XII. annorum spatio Episcopatum, & quidem post Petri, Paulique obitum, tenuisse: & NB. sic legitur, sic scribitur, quin decipi debuisses tu, qui ipse interdum ante *præpositionem* comma ponis, imo & subnectis post *præpositionis casum*, ubi perinde fuisset, nec obscuraretur sensus, sollicitudini si huic paritum fuisset. Nam ecce te ipsum scribentem multis cum commatis: "*Linum & Cletum*" fuisse adjutores S. Petri, sino, donec nempe S. Petrus ipse Episcopatum

" patum particularem Romæ, juxta *generalem* primatum Ecclesiæ, " gessit." Sed pergam tecum contendere: Age! si fecisset id tuus ille Medicus, meusque PETAVIUS, ut mutata *Syntaxi* verbum: *tenuit*, vel: *obtinerunt*, quod prius positum vides, ille post τ NERONIS, hic post τ incurrit, ultimo scilicet collocassent loco; dubiumne superesse posset, an duodecim illos, aut circiter annos uterque a Petri morte computandos duceret? Atqui & modo hoc dubium omne per textum græcum, quem intellexit certissime, aprissimeque distinxit PETAVIUS, depulsum dedi. Agnosce ergo deprehensum te in EPIPHANIO, ac cum fallere non volueris, saltem fefellisse incautum: agnosce vim demonstrationis meæ, quam per hoc non elides, quod contentum fuisse dicas *successionis substantia*, cum ultimo ac *definite* loquitur EPIPHANIUS. Nam contentus ille fuit *successionis substantia*, non quod perinde haberet, an mortuo, an vivo PETRO unus, geminus, aut etiam ternus subjiceretur Successor; sed *successionis substantia* id includentis, id supponentis, LINUM, qui PETRO successit primus, nonnisi ab ejus obitu successisse.

Reliquum est, ut, quod factum in RUFINO fuit, id etiam modo præstem, sinceramque EPIPHANII mentem, quid non rejecerit ille, quid *possibile*, aut utcumque verisimile habuerit, ob oculos ponam. Non rejecit, si quis diceret, CLEMENTEM non a PETRO, sed post PETRI obitum a CLETO ordinatum fuisse Episcopum: nam hoc an ita se, an aliter habeat, ε παν σαφως ισμεν, non ita clare scimus, vel ut versio habet Petaviana, *liquido non constat*. Fieri dein asserit potuisse, ut propter Apostolorum itinera, multamque ex Urbe absentiam, & quia interim *urbs Roma carere Episcopo non posset*, ipsis etiam viventibus alii constituerentur Episcopi, qui scilicet absentium vices supplerent. NB. nihil hic in græco PETAVII occurrit de CLETO: non legitur: ετος ηδυνατο, hic (Cletus) potuit constituere; sed ετος, id est: hac ratione, ηδυνατω..... επισκοπος αλλης καθιστασθαι, *possibile erat* (nam quid aliud intelligam) *Episcopos alios constitui*. Textum integrum sic refert elegans versio Petaviana: " *Quanquam vel* " *hac quidem ratione poterant viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet* " *ac Paulo, Episcopi alii surrogari; quod iidem illi prædicandi Evangelii* " *gratia in alias urbes, regionesque profectiorem susciperent, carere autem*
Episco-

" *Episcopo Roma non posset. &c.*" Atque de hoc mihi monendus eras, VIR CLARISSIME! quoniam supra id me fugisse adverto. Fieri demum asserit potuisse, ut primum constitueretur CLEMENS, non qui vivo, sed qui mortuo PETRO adiret Episcopatum; CLEMENTE vero illam detrectante provinciam (quod an factum sit, conjecturæ permittitur) successerit primus, sed a PETRI morte LINUS; secundus CLETUS; tertius demum, urgente sic Clero, populoque, CLEMENS. Id potuisse fieri, ut & vivo PETRO, & proprie succederet LINUS, tum LINO CLETUS, & utrique superviveret PETRUS, imo CLEMENTEM adhuc vivus Successorem in sua sede, vel cathedra Episcopali nancisceretur, hoc non asseruit, non cogitavit asserere EPIPHANIUS; imo contrarium tenuit manifesto, & ubique pro supposito habuit. Sed jam satis multa de EPIPHANIO.

§. XI. Prodeat tandem, qui claudit agmen, sed multo fortius, quam EPIPHANIUS, pro VIRO CLARISSIMO dimicabit, IRENÆUS Lugdunensis in Gallia Episcopus. Nam " legatur attentè S. Irenæus cit. lib. 3. cap. 3., & apparebit, hunc S. Patrem tenuisse id " pro facto, quod S. Epiphanius ponit, fieri potuisse. Ait ille 1.) quòd " Ss. Petrus, & Paulus fundaverint, & instruxerint Romanam Eccle- " clesiam. 2.) quòd Lino ejus administrandæ Episcopatum tradiderint. " 3.) quòd Lino successerit Anacletus. 4.) quòd Clemens tertio loco ab " Apostolis sortitus sit Episcopatum. Hæc evolvi non possunt per " systema successivi alicujus Vicariatus, sed requirunt necessariò succe- " dentes in Romæ cathedrâ Episcopos." Porro IRENÆUM, quem tam attente vult legi, ipse citavit §. II. sub asterisco duplici, & citavit sic: " Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli (Petrus, & Pau- " lus) Ecclesiam (Romæ) LINO Episcopatum administrandæ Ecclesiæ " tradiderunt... Succedit autem ei ANACLETUS, post eum tertio " loco ab Apostolis Episcopatum sortitur CLEMENS: huic autem Cle- " menti succedit EVARISTUS." Paulo post etiam adducit EUSEBIUM, qui " lib. 5. cap. 6. referat verbotenus passum S. Irenæi."

Exanimari poteram ad primum IRENÆI conspectum, nisi succurreret illico, ita me argumentari posse: Atqui non tenuit hoc EPIPHANIUS fieri potuisse, quod VIR CLARISSIMUS asseruit: ergo
F neque

neque *pro facto* id habuit IRENÆUS. Sed missa hac argumentatione, fateor me obsecutum seu consilio, seu mandato VIRI CLARISSIMI: legi attente, & perattente IRENÆUM: legi in versione latina, quæ ad manum fuit, eratque editio Parisina anni MDLXXV. in folio: legi in EUSEBIO latino, quoniam *verbotenus is passum Irenæi referre dicebatur*: quid multis? legi quoque in EUSEBIO GRÆCO, ut IRENÆUM ipsum, quoniam *verbotenus* ab EUSEBIO profertur, neque interpretem duntaxat IRENÆI legisse viderer. Poteratque id me consolari, cum in integra quadam IRENÆI operum editione, quæ injuria temporum non habetur, græce loquentem ipsum legendi facultas non fieret. Ut autem videas, VIR CLARISSIME! quanta legentis attentio fuerit, atque num ipse, qui consilium, aut mandatum dabas, illud executus sis primum, crisin leviculam dabo in textum, prout a te productus fuit.

Particula: *igitur*, sic scripta est, ac charactere distinguitur, velut quæ non pertineat ad textum. Atqui & legitur in editione me latina; & legitur quoque in græco EUSEBII: Σεμελιωσαντες ἄν. Signum interruptionis trium punctorum ponis, ubi nonnisi una est intermissa linea, eaque non integra: *bujus Lini Paulus in his, quæ sunt ad Timotheum, epistolis meminit.* græce: τῶν τε τῶν τῶν πῶν ἐν ταῖς πρὸς τιμοθεὸν ἐπιστολαῖς μεμνηται; potuissesque 39. & eo amplius punctorum adjicere post illa verba: *Episcopatum sortitur CLEMENS*, quoniam tredecim, & quod amplius est, lineæ intercurrent in versione me latina, donec sequatur istud: *huic autem Clementi succedit EVARISTUS.* græce: τῶν δὲ κλημεντα τῶν διαδεχεται ἐβασίλειος. Aut si punctorum terrebat copia; sex ad minimum priores lineas, quas etiam apud EUSEBIUM videre fuit, si non aliter id faceres, quam tribus consuetis punctis, eorum quolibet geminis respondente lineis, abruptas a te fuisse, signare poteras. Atqui, quæ interruptionem signent, hic puncta nulla occurrunt. Quid cogitem? quid cogitabit Lector? Illud profecto: EUSEBIUM a me lectum, ac singulari cum attentione lectum fuisse; abs te autem forsitan ne inspectum quidem. Nam si inspexeris, si ob oculos habebas, cum describeres textum; proh quantum te accusare possem, cum suppressum indicas, quod condonari poterat, quamvis non indicasses; suppressisti autem, nec indicasti, ubi suppressio ve-

niam

niam mereri non potest. Nam quantum ad rem faciant sex illæ lineæ, quantumque evertant id, quod hac typi forma scripsisti: *Clementem tertio loco* ab Apostolis sortitum esse Episcopatum, post apparebit. Atque hic jam denuo te aggredi debeo. Dic age: quid aliud sic scribendo volebas, nisi ut crederet Lector, Apostolos ipsos fuisse, proin viventes adhuc, a quibus *tertio loco*, cum LINUS & CLETUS jam decelissent, Episcopatum sortitus sit CLEMENS; idque *appariturum*, seu perspicuum futurum, dummodo attente quis legeret IRENÆUM. Grande profecto piaculum! si inspexisti EUSEBIUM; imo & si latinam tantum IRENÆI versionem: nec leve tamen, nec condonandum, si vel sola textus a te producti, nec inspecti lectione hanc IRENÆI apparituram mentem suadere voluisti. Nunquid ambiguum id saltem videri debuit, an, quod dicitur *tertio loco ab Apostolis*, non ita capiendum foret, ac si *tertio post Apostolos loco* dictum fuisset? Atque ita dum capitur, quomodo quis concluderet pro Apostolorum vita, cum Episcopatum sortitus est CLEMENS? An ejusdem nominis, ac Dignissimus Trevirorum Archipræful CLEMENS, dum vel primo post JOANNEM PHILIPPUM loco Trevirensi admotus est Cathedræ, priore illo adhuc superstiti admotus fuit? Sed forte proprietatis latini, græcique sermonis (nam ad literam latino consonat, quod lego: *τῆτιω ποτιω ἀπο των ἀποστολων*, minus ea cum acceptione concordat? Cave, id ne dixeris: nam ridebunt Tirones. Num igitur præcedit in textu aliquid, num consequitur, quod pro priore illo milititer sensu? Excutiat illum, centiesque excutiat Lector, prout §. tuo secundo legitur, tale nihil inveniet. Quid autem sit inventurus, ipsum si adierit IRENÆUM, si in versione *latine*, si in EUSEBIO *græce* loquentem audierit ea, quæ tu suppressis, quamque illic plane adversus sit tibi, quo duce pugnare potissimum statuisti; hoc expectatur, hoc docere debebo te, hæctenus si forte latuit.

Suppressa sic extant in versione: *Qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum & traditionem ante oculos haberet. Non solus enim, adhuc multi supererant tunc Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans*

fidem eorum, & annuncians quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem. Inspectio quemlibet docere poterit, sic plane, ac ne verbo quidem vel commate mutato, meam referre versionem: unde nec particulam quidem: AB, alicubi deficientem supplere volui. Græcus vero, ut apud EUSEBIUM extat, sic loquitur IRENÆUS: ὁ καὶ ἰωρακίως τις μακαρίας ἀποστόλων, καὶ συμβεβληκώς αὐτοῖς, καὶ ἐπὶ ἑναυλον τὸ κηρυγμῶ των ἀποστόλων καὶ τὴν παραδοσὶν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων ἕ μόνον. ἐτι γὰρ πολλοὶ ὑπελείποντο ποτε ὑπὸ των ἀποστόλων δεδιδασμένοι. ἐπι τετρα ἕν τε κλημεντος &c. nam quid omnia huc transcribere necesse est? Postrema tamen non penitus præterire debeo, quæ sic habent: ἢ νεωσι ἀπο των ἀποστόλων παραδοσὶν ἔληφει. ad literam: *quam recenter ab Apostolis traditionem accepit.* Porro ex his abs te suppressis, nulloque suppressionis signo addito, prætermisissis verbis hanc eruo sententiam; quam eruditus in eo genere, atque etiam tibi expendendam committō: CLEMENS tertio loco ab Apostolis sortitus est Episcopatum; ille, inquam, CLEMENS, qui haud secus, quam LINUS & ANACLETUS, quos in Episcopatu antecessores habuit, conspectu est fruitus Apostolorum, & cum ipsismet doctrinam conferre solitus, quam inaudierat: cui & ipsi adeo recens prædicatio Apostolica, ut etiamnum illam veluti tubam auribus suis insonantem perciperet; adeo recens traditio, ut illam tanquam oculis suis subjectam legeret; imo qui non solus tunc eorum erat e numero, qui convixerant Apostolis; quoniam multi adhuc extabant alii, Apostolis jam vita functis superstites, qui & ipsi ἀμεσῶς (sine, ut sic loquar, quoniam & tibi est hoc verbum frequens, ut græce te scientem prodas) institutionem suam ipso ex Apostolorum ore acceperant. Quod si jam hæc sit, meo quidem iudicio plana, perspicuaque, IRENÆI sententia; næ tu ridiculus es admodum, qui persuadere voleris, IRENÆUM censuisse, Apostolis adhuc vivis, uti successerint LINUS, & CLETUS, sic & CLEMENTEM tertio successisse loco: imo *ab Apostolis ipsis* in Romana post CLETUM Cathedra collocatum fuisse.

Sed, ut nihil fas sit excipere adversus ea, quæ dixi: pergamus legere, ubi tu desinis, IRENÆUM. Cum ergo dixisset hic S. Pater: τὸν δὲ κλημεντα τετον διαδεχεται ἑυαρεσος, *Huic autem Clementi succedit Evaristus:* hæc e vestigio subjicit: καὶ τὸν ἑυαρεσὸν ἀλεξανδρος. ἐιδ' ἕτως ἕκτος

ἕκτος ἀπο τῶν ἀποστόλων καθίσταται ἕστος. *Et Evaristo Alexander; ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est Sixtus.* Quæro jam, adeone improvidum alicujus, aut stolidum caput erit, ut, quod dicitur *sextus ab Apostolis constitutus*, ita interpretandum putet, Apostolos fuisse ipsos, qui *sexto loco* hunc constitueriat? Tu si velles eo te dare infantiæ, at jam certe non posses, posteaquam CLEMENTEM PETRO, & PAULO supervixisse ponis. Ecquid igitur *sextus ab Apostolis*, nisi sextus ab Apostolorum temporibus? Aut an forsitan hoc tibi profuturum existimas, quod in SIXTO quædam sit variatio phrasæ, dicaturque *sextus ab Apostolis*, non autem *sexto loco ab Apostolis*? Frustra es: nam duabus, non amplius, interjectis lineis, si legisses IRENÆUM, & attente legisses: aut ubi legisti forsitan, non dissimulandum tibi hoc atque supprimendum duxisses, quod causæ tuæ tam exitiale fore præferas, istud occurrere, istud oculos omnino tuos perstringere debuit: *Nunc DUODECIMO LOCO Episcopatum AB APOSTOLIS* (vel, ut in græco est, *Episcopatus ab Apostolis sortem*) *habet Eleutherius*: *νυν δωδεκάτω τότῳ τῶν τῆς ἐπισκοπῆς ἀπο τῶν ἀποστόλων κατέχει κληρὸν ἐλευθέρου.* Atque hic quidem, cum non se excepiant ita, sed separata ob id, quod interjicitur, existant verba illa: *DUODECIMO LOCO AB APOSTOLIS*; posset, si sola Syntaxis, seu positio verborum spectetur, plus aliquid rationis occurrere, quamobrem ELEFTHERIUM ab ipsis diceremus Apostolis Episcopatum tulisse, quamvis nonnisi duodecimo sit consecutus loco. Si autem insanit prorsus, hoc qui diceret; si hoc plane dici non potest; nisi quis ad IRENÆI usque ætatem Apostolorum vitam produceret, ipsomet id negante, & apertissimis refragante verbis IRENÆO: en igitur & phrasin prorsus consimilem: *DUODECIMO LOCO AB APOSTOLIS*, quin aliud illa, quam Successionem jam inde ab Apostolorum temporibus ad eum, qui *DUODECIMUS* exitit, productam, significare possit. Provoco nunc ad omnes, qui tantillum rationi, & æquitati dandum censuerint: Dixit IRENÆUS: *Sextus ab Apostolis*; dixit: *duodecimo loco ab Apostolis*; & utrumque hoc cum dicebat; nonnisi sextum, aut duodecimum post Apostolorum tempora Episcopum: minime autem Apostolos, tanquam si *sexto ii*, vel *duodecimo loco* Episcopatum tradidissent; signare voluit: & signasse credamus eo

uno in loco, ubi dixit: μετὰ τούτων δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν ἐπίσκοπὸν κληροῦται κληρῶς. *Post hunc autem tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens?* Nolo insidiari vocibus: cæterum ex hac voce: κληροῦται, quod idem est, ac *forte*, vel *hereditate capit*, novi aliquid argumenti eruerem. Ac sane quid insidias est frueri opus, ubi aperta tenetur veritas, plenaque sua se luce prodit? Aliquid superesset refugii, si diceres: LOCUM TERTIUM id tantum significare, ut POST Linum, & Ceterum TERTIUS sit in ordine succedentium Clemens. Verum & hoc tibi est præclusum: quoniam cum dicitur: DE-INCEPS SEXTUS; cum dicitur: NUNC DUODECIMO LOCO, non attendenda tantum est particularum illarum vis, quæ sextum, ac duodecimum post antea memoratos Successorem designent; sed etiam, quia dicitur: SEXTUS AB APOSTOLIS, DUODECIMO LOCO AB APOSTOLIS, successio ab ipsis Apostolorum temporibus rependa monstratur.

In CLEMENTE quando res tam infeliciter cessit, videamus, an non saltem viceris in LINO: nam de ANACLETO quid videremus? Successit iste LINO: sique ex IRENÆI verbis ne id quidem conficiatur, viventi LINUM successisse PETRO; pro eo, quem LINUS habuit, Successore minus etiam concludere oportebit. Age, quid dicit igitur IRENÆUS, & quid ita dicit, ut appareat liquido, quo illud sensu dixerit, ut in Systema trahi potuerit iste sensus: ut excipiendi adversus illum, ambigendique facultas reliqua nulla sit? Audio: *Fundantes igitur, & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam Lino Episcopatum administrande Ecclesie tradiderunt.* Addamus & textum græcum, quoniam non parvo erit usui: θεμελιωσαντες ἐν και οἰκοδομησαντες οἱ μακαριοὶ ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, λινῶ τὴν τῆς ἐπίσκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. Hocine totum? Imo totum profus. Bene habet: lego, relego; appendo, perpendo; meditor, scrutor, voces pene singulas excutio: & nihil dum apparet liquido, neque quid *traditum* sit, neque an *vivi* illud tradiderint Apostoli, an *vita* functi. Sed nunquid, ais, manifestum est, *Episcopatum Ecclesie administrande* eos tradidisse? Certe: nam hic sonus est latinarum vocum; sed an verus iste sit, propriusque Episcopatus; an tantum vicario nomine gerendus, dubium movere possunt hæc græca vocabula: τὴν τῆς ἐπίσκοπῆς λειτουργίαν, quæ
admi-

administrationem tantum, vel *ministerium* Episcopatus exprimunt. Crescitque hinc dubitatio, quod, ubi de CLEMENTE est sermo, non jam ille τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν, sed ἐπισκοπὴν ipsam sortitus dicitur. Sed demus, hæc IRENÆUM permiscuisse vocabula, ut λειτουργία τῆς ἐπισκοπῆς haud aliud quidquam sit, quam Episcopatus ipse, & ut proprio administrandus nomine, quo pacto, qui Dominus est rei, rem illam administrare consuevit. Demus, inquam, istud; cum non raro sic quoque loquatur EUSEBIUS, ut ἐπισκοπὴν, λειτουργίαν, & τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν permixta invicem, confusaque exhibeat; nam quid dissimulem ego istud, qui dolo agere haud quaquam constitui? At necdum invenio viventes Apostolos, & quidem a se depositum, aut si forte PAULUS non tibi proprie fuerit, unaque cum PÉTRO Episcopus Romanus, saltem PETRUM, & de consilio PAULI (ut huic aliquid quoque ista in re concedatur) depositum, inquam, illum a PÉTRO Episcopatum transtulisse in LINUM. Dices: annon igitur vitam signat hoc ipsum: *Fundantes, & instruentes*? annon concludere hinc fas est, Apostolos, dum etiamnum instruendo, ordinandoque Ecclesiam illam occuparentur, eique bene provisum vellent, etiam Episcopum stabilem, minusque aliis distinendum negotiis præfecisse? Nunquid sic actum alibi? nunquid sui, ac proprii Ecclesiis jam fundatis, instructisque ordinati Episcopi? Oppono: legitur in græco: θεμελιώσαντες, ὀικοδομῆσαντες, quæ aoristorum *participia* vim magis habere *præteriti*, quam *præsentis*, norunt Tirones græci. Quod ergo latinus sic vertit interpres: *FUNDANTES, INSTRUENTES*, id vel circuitu quodam verborum, *CUM FUNDASSENT, ÆDIFICASSENT*, vel *ablativo*, ut dicimus, *absolute posito*, *FUNDATA, ÆDIFICATAQUE ECCLESIA*, modo magis accommodato ad ἐνεργίαν vocum reddi potuisset. Accedit, quod Architecti isti, nempe Beati Apostoli, ab ædificando, magisque extollendo, poliendo, perficiendo ejus Ecclesiæ ædificio, quæ etiam tum prima fuit, saltem *politice* ob Urbem orbis principem, non destitisse putandi sint, donec vitam illi cum sanguine profudissent. Dices amplius: atqui ipsum *tradendi* vocabulum id vivos monstrat consignasse Apostolos, quod traditum ab eis accepit LINUS. Nam mortuus dare, aut tradere aliquid alteri anne potest? Imo vero potest; & juxta te ipsum *ANACLE.*

CLETUS CLEMENTI Sacerdotii sedem tradidit, non utique vivus, sed moriendo. Hoc enim quamvis ex EUSEBIO duntaxat proferas, sentire tamen videris, imo sensisti reipsa, cum PETRO præmortuum ANACLETUM, & huic illico CLEMENTEM successisse ponis. Si ais, discrimen esse, quod in textu Eusebiano anni quoque ipsi adducti sunt, quibus exactis, completisque (per mortem scilicet ANACLETI) traditio illa facta fuerit; nihil autem hujusmodi occurrere in textu IRENÆI; Oppono, neque etiam contrarium aliquid in illo legitur, ut aliam ab ea, quam & moriens facere possit, traditionem intelligere sit necesse. Sic autem ambigua ad minimum res erit, nec basin pro Syttemate struendo, & quidem tali, quod non ordinasti utcunque, sed asseruisti, suppeditare potuit.

Sed jam juvabo te, atque argumentum proponam, quod nisi fugisset te prorsus (divino quidem sic, atque aliquid divinationis in re ista levi condonare posses) certissime taciturus non eras. Nam & plausum habere poterat, & græci, ut es, idiomatis te peritum iudicio non contemnendo monstrare. Ecce illud: dixit IRENÆUS GRÆCUS: ἐνεχρησίου, id est: *de manu velut in manum tradiderunt*. Hæc autem traditio locum quidem habere potest in vivis, qui manum, ut sic loquar, movere, & ex ea in alienam aliquid transferre possint; sed de mortuo, cui nullus est membrorum motus (non utique vitio verres, quod metaphoram prosequar) quis, & ad vim ipsius vocis id intelligere possit? Si consulisses Antverpienses in LINO, argumentum illic suggestum videre poteras. Quoniam nunc vero sic juvi te, & juvi contra memetipsum; etiam contra te, meque decertare debebo. Et vide, quomodo decertem: si semel attendere fas est in textu ad ἐνεχρησίου, quam vocis alicujus etymologia suppeditat; etiam in aliis vocibus, suam perinde ex etymologia vim specialem habentibus, ad eandem recurrere permissum erit. Propono hoc tibi conditionis instar cujusdam: an acceptas? si acceptas; mirum aliquid sum illaturus. Inferam *Vicariatum successivum SS. LINI, & CLETI*; inferam, nunquam eos *docendi* accepisse *Sedem*, quam supra RUFINI esse sententiam monstravi; inferam, CLEMENTEM tertio quidem loco, sed nonnisi incluso amborum illorum *Vicariatu successivo*; de cætero autem primum ab Apostolis Episcopatum *proprie* dictum, quod
itidem

itidem RUFINUS sensit, obtinuisse. Adverte ad ratiocinium: IRENÆUS dixit: ἐνεχειρισαν, id est: *de manu in manum tradiderunt*: ergo tunc, cum tradiderunt, vivebant Apostoli. Dixit autem & : τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν, i. e. *administrationem, ministerium Episcopatus*; nec quidquam amplius; debetque hoc distingui ab eo, quod postea simpliciter vocatur ἐπισκοπή, ne non satis *etymologias* secutus putetur IRENÆUS. Igitur τὴν λειτουργίαν tantum, & non τὴν ἐπισκοπὴν accepit LINUS. Dixit deinde, LINO successisse CLETUM: in quo? utique in eo, quod is sibi *traditum* habuit. Nam ἐπισκοπή, & sine alterius additamento vocis, necdum memorata fuit. Igitur nec iste successit, nisi εἰς τὴν λειτουργίαν tantum; non autem εἰς τὴν ἐπισκοπὴν. Igitur adhuc isto succedente, vivebant Apostoli. Dixit denique, CLEMENTEM tertio quidem loco (sed post Apostolorum tempora, ut supra demonstratum fuit) non amplius τὴν λειτουργίαν, sed τὴν ἐπισκοπὴν, non velut in manus sibi consignatam, quod tantum de prioribus illis subsistere potest; sed *sorte, vel hereditate* cepisse: nam ea est vis hujus vocis: κληροῦσθαι, si ἐτύμον tantum quis spectare voluerit. Ergo perse fluunt omnia, quæ supra sunt promissa, si nempe conditionem tu acceptandam duxeris. Quodsi acceptare nolueris, vide, ne iniquus sis admodum, quod soli hoc tibi largiendum putes, quod si alius petat, etiamsi eodem petat jure, ei denegandum censeas. Verum num ea mihi est sententia, quam mox proposui ratiocinando? num IRENÆI est? Dicam candide, VIR CLARISSIME! nec mea illa est, nec, ut arbitror, IRENÆI. Quid ergo sentio ego, & quid me iudice IRENÆUS? Sentio, vocibus IRENÆI nec uni, nec alteri, nec simul omnibus infidiandum esse. Sentio idcirco, quoniam sic ut sentirem, ubi IRENÆUM a capite isto ad calcem, & quidem perattente legi, compulsus fui. Sentio, quia & adstipulantem mihi habeo EUSEBIUM, hominem sermonis patrii, & IRENÆI peritissimum, qui IRENÆUM hæc ait referre *congruenter, ἀκκλῆτως*, & ut sibi vertere visus est posse CHRISTOPHORSONUS, *congruentia admodum* iis, quæ antea ipse in historia retulerat. Nihil autem certius, quam EUSEBIUM nullam, nisi a mortē Apostolorum successionem ponere.

Sed nunquid principio capitis adversantem mihi habeo IRENÆUM, ubi ait INSTITUTOS ab Apostolis in Ecclesiis esse Episcopos;

scopos ; Apostolos aliis COMMISISSE Ecclesias ; quibusque eas committebant, eosdem SUCCESSORES reliquisse, qui SUUM IPSORUM LOCUM MAGISTERII traderent (forſitan: *tenerent*.) Nunquid amplius in decurſu : ubi ait, ſe prætermiſſurum aliarum SUCCESSIONES Eccleſiarum, ſolamque indicaturum eam, quæ ab Apoſtolis PETRO, ET PAULO locum habuit in MAXIMA, ANTIQUISSIMA, OMNIBUS COGNITA ECCLESIA ROMANA? Nunquid denique, quando duodecim illos a Petro commemoravit, itaque clauſit : *Hæc ORDINATIONE, & SUCCESSIONE &c.*? Nam talia tu objectare poſſes, meque etiam, quod ſuperficiarie ad ſummum, certe non attente IRENÆUM legerim, imo & doſe hæc ſupprimenda duxerim, arguere. Verum paucis iſta a me occupari poſſunt. Cedant verborum inſidiæ: & apparebit IRENÆUM ſibi ex aſſe conſtare, dummodo hæc ſenſerit, hæc exprimere voluerit : LINUM ab Apoſtolis ordinatum fuiſſe Episcopum ; adiutorem quoque ad tempus adſcitum in adminiſtranda urbis Romæ Eccleſia ; designatum uſque adeo, qui præfecturam ipſam ab Apoſtolorum morte caperet ; cepiſſe tandem ; &, cum eam morte ſua deponeret, Succeſſorem tunc habuiſſe ANACLETUM. Id IRENÆUM voluiſſe, ut PETRUS primo geſſerit Episcopatum illum ; dein vivus adhuc, & ſponte abdicatum tradiderit LINO ; neque ex antecedentibus illis, neque conſequentibus, nedum ex famoſo textu ſive in ſeiſſo, ſive ut contextui ſuo junctus ſpectatur, conſequi poſſe aſſirmit : propterea quod ad IRENÆI ſcopum perinde omnino erat, ſi res eo, quo dixi, modo geſta fuiſſet ; nec contrario geſtam modo verba ipſa dilucide ſatis, aut verosimiliter ſignificent. Nam quis iſte ſcopus? Idem ſcilicet, qui TERTULLIANI poſtmodum fuit ; ut oſtenderet traditionem per SUCCESSIONES EPISCOPORUM jam inde ab Apoſtolis PERVENIENTEM AD NOS, atque hac traditione *confundi hæreticos*, qui *præterquam quod oportet, colligunt*, omnino poſſe monſtraret.

Atque hic ſiſtere poteram, quoniam id ſufficiebat oſtendere, te nihil probatum dediſſe, aut dare potuiſſe ex IRENÆO ; imo & hunc, prout in conditionem concederes, adverſus temetiſſum pugnare. Syſtemata autem, quæ propriæ inſtar ſententiæ literato proponantur orbi, ſuper huiusmodi incertis, & probatione debita carentibus, ex
parte

parte etiam ipsomet ferire authorem aptis, ædificari non debent. PARERGON tamen est visum addere forsitan Lectori non injucundum, ut, quam etiam tuimet sis immemor interdum, aut in his, quæ scribis, improvidus, dijudicare possit.


§. XII. Cum finiisses in IRENÆO; cum dixisses §. VI. CLEMENTEM jam federe cœpisse (nempe in *Romæ Cathedra*) dum SS. Apostoli ibidem sustinuerunt Martyrium; cum addidisses, istud, quod EPIPHANIUS ad *duodecimum* supra retulerat, juxta HIERONYMUM contigisse anno Neronis *decimo quarto*: ut ostenderes, hanc esse HIERONYMI mentem, textum subjicis ex "*Libro de Viris Illustr.*" in PETRO, nempe hunc: *Secundo Claudii anno ad expugnandum* "*Simonem magum Romam pergit, ibique XXV. annis cathedram sacer-*" *dotalem tenuit usque AD ULTIMUM annum Neronis, id est XIV.* Rursusque alterum "*in PAULO: Hic ergò XIV. Neronis anno eodem*" *die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in*" *viâ Ostiensi, anno post passionem Domini XXXVII.*" Ubi mens? ubi ratio? si juxta HIERONYMUM PETRUS cathedram Sacerdotalem tenuit XXV. annis; si tenuit Romæ; si usque ad annum Neronis XIV.; si eodem hoc anno, eodemque die, quo Romæ PAULUS pro CHRISTO capite truncatur, mortem suam oppetiit: igitur juxta HIERONYMUM PETRUS cathedram Sacerdotalem tenuit usque dum moreretur; vel certo non diu ante suam mortem deposuit. Quæro, quid intelligas, aut intelligere putes HIERONYMUM per *cathedram Sacerdotalem*? Si Episcopalem: quam igitur adversum illum habes Systemati tuo? Adversissimum certe, si eo usque retinuit, donec moreretur; adversum adhuc, si paulo ante cessasse illum dixerimus. Nam paucis illis ante obitum vel diebus, vel mensibus, ubi jam tres ille tuos, atque ex ordine in *Romæ cathedra* Episcopos reperiret? Chronotaxin non exigo; sed hoc volo unum: An fieri potuerit juxta HIERONYMUM? an verisimile hoc ei visum, ut PETRUS eo moriturus anno Cathedram, quam in illum usque annum tenuerit, consignarit LINO primum, tum CLETO, utrique huic *superstes*: & post utriusque istius mortem *superstes* adhuc eam transfulerit in CLEMENTEM? Quodsi non Episcopalem intellexit HIERONYMUS, nec de ista locutum censeas; edic obsecro, quam igitur? An fortassis PRIMA-

TIALEM, vel PAPALEM? si ita: duæne igitur tunc Romæ cathedræ, altera fixa, mobilis altera, vel ambulatoria, quam Antiochia secum PETRUS Romam advexerit? Quis unquam ita locutus est veterum? Quis cathedram ab Ecclesia, vel Episcopatu, cui affigeretur, separandam putavit? Quis olim, quis hodie, ex quo tempore Episcopi Romæ primatum obrinent, quibus ideirco illos *cathedris*, & quarum utraque *Romane* sibi nomen vendicet, infedisse affirmat? Quodsi ergo non hoc HIERONYMUS; si unam tantum ipse intellexit cathedram, neque ab Episcopali sejunctam: edic, an ostendere volebas, nihili te ducere, sive propitium Systemati, sive inimicum haberes HIERONYMUM? Atqui hujus autoritate pugnabas, ut *substantiam successionis* adstrueres; & quamvis callide quandoque hanc solam vocis *substantiam*, quæ in serie personarum consistit: atramen ad substantiam Systematis tui id pertinet & vel maxime, ut successionem vivo adhuc PETRO ad CLEMENTEM usque perductam stabilias. Si ergo non conciliandum cum illo HIERONYMUM, si aperte refragantem videbas; cur produxisti? Nunquid tutius tibi futurum fuit, si locum signares tantum, ubi in Chronotaxi HIERONYMUS ab EPIPHANIO differret; non autem ex eo verba produceres? Usus jam fueras cautela ista §. tuo secundo, ubi provocasti ad EUSEBIUM Lib. 3. Hist. cap. 2. sed a verbis eo ex capite proferendis, quoniam nimio opere adversabantur Systemati, provide scilicet in rem tuam cavisti. Aut an forte alio divertendum legentis animum cogitabas, si minuto scriberes caractere: *cathedram sacerdotalem*, ut scilicet ad aliud iste nihil, quam ad ULTIMUM, eumque XIV. Neronis annum respiceret? Præterquam, quod sic novam accusandi tui materiam præberes; hoc quidem ab incurio, & imperito; sed non ab emunctæ naris lectore sperare potuisti. En igitur aut immemorem tui te, aut improvidum valde, & sine delectu, atque etiam cum incommodo tuo scribentem, cum ea profers ex HIERONYMO, quæ celari omnino debuerant, aut verbis ex parte aliis efferri, ut faciebas in EUSEBIO; v. g. sic: *Secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique XXV. annis PRÆFUIT* (aut si forte hoc quis de præfectura Episcopali acciperet) PRÆFUIT (addendo) CHRISTIANORUM PONTIFEX PRIMUS usque ad ULTIMUM Neronis annum,

annum, id est XIV. Sic certe si minus tibi, quoniam non id me præteriturum fuit, Systemati tamen tuo magis consultum ibas.

§. XIII. Sed finiamus hanc tandem partem, ac concludamus, nihilum præstitisse te, ut ex veterum dictis Sylltema novum construeres, veteribus iis, quos produxisti, non nisi averfis erinibus in ejus communionem tractis. Poteras tamen, si velles, mirumque est, id non fecisse te, aliquem citare veterum, qui Sylltemati tuo favisset apertitus, quanquam ex toto eundem sequi non posses. Est is author Constitutionum Apostolicarum Lib. VII. Cap. 46. quem & (pag. 352.) in causam suam producit Jansenista ille anonymus, de quo supra hujus disquisitionis §. VIII. quamvis, ut in te sæpius, sic & in illo adcuratorem desiderem. Nempe hæc ejus loci verba sunt: *De ordinatis autem a nobis Episcopis in vita nostra significamus vobis ... Romane Ecclesie Linus Claudie primus a Paulo: Clemens post ejus obitum a me Petro secundus ordinatur.* Verum quam exigua sit Constitutionum harum autoritas, quot in iis facti errores, quam falsa inscriptio, dum haud secus, quam *Recognitionum libri S. CLEMENTI* Primo adjudicantur, notum hac ætate eruditis est omnibus, atque a NATALI ALEXANDRO proluxa Dissertatione in Hist. Sæc. I. monstratum. Restat, ut, cum non præverit antiquitas, saltem recentioris alicujus, quem in Sylltemate hoc præparando vel ducem nactus fueris, vel patronum, temet autoritate communias. Nullum produxisti, ac ne FEBRONIUM quidem aliquem: suspicio est ergo mihi, nec illa levis, proferri quoque abs te neminem potuisse; neminem inquam, qui Catholicas sectetur partes, cumque Catholicis primum in Romana Cathedra divum Petrum consedisse affirmet. Nam si horum quis esset e numero, cur non proferres tu, qui alioquin es multus in citandis, laudandisque BARTHELIIS, vel aliis hac nostra ætate magni nominis viris, sicubi aut *nova*, aut *nove* sentienti tibi, dicentique facem prætulert? An ideo non protulisti, quia hujus gloriam Sylltematis ita ordinati, nexique tibi uni adfectas propriam? Non invideo. Verum sic certa res mihi, reliquisque omnibus, quos tuæ non terrent argumentorum umbræ, hæc manebit impostorum, PETRUM, ex quo Romanam conscendit Cathedram, nunquam illam dimisisse visum; sique ea sit *successionis substantia*, quæ tibi ex EPIPHANIO, Hagiographis

graphis ex parte dissentientibus, permiffa fuit; LINUM primo, mul-
toque magis CLETUM, atque CLEMENTEM nonnifi a PETRI
obitu fuffeffiffe.



P A R S S E C U N D A .

§. XIV. **U**t incertus redderetur primatus Pontificius S. CLE-
MENTIS I., tertii post D. PETRUM asserti Roma-
norum Episcopi, opportune Systema ipsum præmitte-
batur, primatus hanc dignitatem detrahens LINO atque CLETO,
utpote defunctis, PETRO adhuc vivente, ac retinente illam, Urbis
Romæ Episcopis. Poterat lis tertio intentata Successori audax alioqui
nimium, ac vix toleranda videri, si duorum excluso Papatu, qui Ro-
manam rexiffent Ecclesiam, veri illius atque *omni cum rigore* Episcopi,
Papatus insuper tertii vel possessionem amitteret suam vel possessio-
nis saltem istius certitudinæ deiceretur. Præmissio autem Systemate
tolerabilior hæc res fiebat, eo quod jam appareret duorum cum Epi-
scopatu Primatum haud sociari posse, PETRO, quoad viveret, sem-
per existente *Universalis Ecclesie Primæ*; unius autem, ordine qui-
dem tertii a PETRO, attamen primi post ejus obitum Romani Epi-
scopi, Papalem in jus trahere dignitatem eo ferri posset facilius, quo
speciosior aliter opinandi, vel aliquantum hæsitandi ratio legentium
sub conspectum adduceretur. Bene habet. Videamus, quid VIRUM
CLARISSIMUM hæsitare coegerit, si non etiam contrariam plane in
opinionem distraxit. Suis ille verbis loquatur.

” Cùm ergo juxta nos Ss. *Linus & Cletus* (utpotè vivente adhuc
” Petro defuncti Romani Episcopi) non essent *Caput totius Ecclesie*,
” sed *solum Episcopi Romæ*, fuitne saltem S. *Clemens secundus totius*
” *Ecclesie Primus*; quia S. Petro superstes? R. Pro certo non au-
” sim hoc adstruere; quoniam hætenus sufficiens ratio allata non fuit,
” quòd is, qui successit Petro in *Episcopatu Romano*, eidem quoque
” *ipso jure & sine quovis alio requisito, successisset in Primatu, seu*
” *Præfecturâ totius Ecclesie.*” (a)

Ob-

(a) §. IX. pag. 43.

Obtentus oppido speciosus ! tanquam si, ut certus habeatur Primatus Pontificius S. CLEMENTIS, ea fuerit afferenda ratio, quæ ex VIRI CLARISSIMI decernat Systemate, atque hoc debeat monstrare, illum, qui viventi successit PETRO in Episcopatu Romano, *jus* quoque adeptum fuisse, ut sublato e vivis PETRO, hoc ipso, & *sine quovis alio requisito* succederet in Primatu. Imo vero hæc allata hæctenus ratio non fuit, nedum sufficiens : quoniam nondum apparuerat Systema ipsum ex solius cerebri fecunditate, qua VIR CLARISSIMUS pollet, protrusum; nondum hoc creditum, e Catholicis fore præsertim in Augusta TREVIRORUM urbe Doctoribus, qui PETRI Episcopatum Romanum non iisdem, quibus ex illo addito vixit, annis circumscriberet; qui pro Vicariis Episcopis ab HENSCHENIO, & PAPEBROCHIO assertis, totidem atque *omni cum rigore proprios* Urbis Romæ Episcopos PETRO, solum jam suum retinenti Primatum, subjungeret; qui rem adeo paradoxam, atque nescio, an ulla hæctenus Catholica in Universitate auditam, publicis evulgaret The-sibus, veterumque ex dictis, ac Venerabilium Patrum autoritate, si Superis placet, firmandam, collustrandamque susciperet. Sed neque nunc istam proferre rationem necesse erit, posteaquam Systema ipsum nulla niti ratione ostensum fuit.

De cætero autem duo sunt, quæ certum omnino reddant, ac cuiusvis Catholicorum liti subducere debeant Primatum Pontificium S. CLEMENTIS. Unum: Historicorum omnium, quibus sit tribuenda fides, consensus, dum & CLEMENTEM istum in Romana PETRI Sede collocant, Episcopum haud dubie legitimum, & eam post PETRI obitum tenuisse agnoscunt. Alterum hujus certitudo *Theorematis*: eos ad unum omnes, qui post PETRI obitum Romanam tenuere Cathedram, si modo legitima conscendissent via, neque hæc ipsa in dubitationem cadat, etiam Primatum in D. PETRO institutum gessisse. Certitudinem vero hanc præstat totius antiquitatis consensus, quanta possit esse maxima : præstat veneranda tot Conciliorum sive universalium, sive particularium autoritas; præstat vox una in hoc Theologorum, ac concentus Scholarum omnium, ut ut alias Systematis ac singularibus opinionibus invicem discrepantium; præstat fidelium communis illa neque interrupta per decursum tot sæculorum persuasio:

fio: frustra que ego sum, ac multum præfixos a me hujus disquisitionis limites egrediar, si integram hinc ex fontibus aliquam, digestamque demonstrationem afferre velim, quam cernere est in tot eruditissimis Dissertationibus, imo & libris integris illo super argumento vulgatis; quibus quidem, quod opponat, adversa excogitare pars (Nam quid adeo tutum, sanctumque, ut exceptionem adversus se nullam habuerit) quod autem enervet, quod vim adimat demonstrationis, invenire non possit. Jam vero ex *Theoremate*, & altera ei subjuncta propositione *historice* certa, hic conficitur Syllogismus: *Quotquot a PETRI obitu Romanam tenuere Cathedram Episcopi baud dubie legitimi, iidem & gessere Primatum.* CLEMENS I. ex iis unus est, qui a PETRI morte &c. *igitur & gessit Primatum.* Consequentiam præmissis datis, nemo, qui concludere novit, respuet. *Minori* nihil opponit CLARISSIMUS, arque vehementer me fallo, nisi & ipsi certa fuerit. Solam contra *Majorem* hoc poterit excipere, eam, si universe prorsus atque ullam citra limitationem capiatur, non videri usquequaque certam, ob *requisitum aliquod*, quod an adfuerit in primo illo post Petri obitum Successore, fors & in nonnullis aliis, liquido definiri non possit. Videbo de hoc postea. Observo autem in præsens: uti unica hirundo non facit ver, sic neque ejus ad *Doctorem Theologicum admissi* (b) dispar solius sententia concertui tot Doctorum, quorum alii in *fide Divina credibiliun*, alii usque adeo in *credendorum* numero Theorema illud reponunt, quorumque nemo est, quin certum illud habeat, nullique apud nos controversiæ subjectum, præponderare debet. Sæpe unius, alteriusve non curatur dissensio PATRIS, consentiente reliquorum PATRUM choro, neque incertum id redditur, quod a pluribus, ac prope omnibus judicatum fuerit. Minus igitur curandum, siquid unus & *admissus* tantum ad *Doctorem Theologicum* dixerit, senseritque contra universos; nedum ut universorum sententiam hac ratione incertam fieri exiltimemus. Atque vel solum istud mihi sufficere poterat, ut ostenderem, quam imbecilla prorsus, inanique ductus causa VIR CLARISSIMUS Primatum Pontificium S. CLEMENTIS I. in jus trahi, ac certitudine saltem sua mulctari posse confide-

(b) Est hic unus ex Titulis VIRI CLARISSIMI: qua vero in Academia illum sit consecutus, ignoro.

fideret. Quoniam tamen non hoc solum ipse voluit; quoniam *plus significavit, quam dixit*; quoniam assumptum a me Critæ officium accuratorem quandam eorum, quæ aut dixit ipse, aut significare voluit, discussionem exposcit; ea quoque, quæ in *asterisco*, ac triplici continentur *additione*, percurrere nonnihil debebo; & quam vel apte producta, vel solida illa sint, quæ producta fuere; quorsum denique tendant, Lectoris ad hæc cognoscendum aviditati exponere.

§. XV. Sequamur itaque VIRUM CLARISSIMUM: "Vis hoc ex præcepto Christi ceu jus divinum derivare, habebis contra te Catholicos, & ex Trevis duos Nicolaos, Cusanum Cardin., & Honthemium Suffraganeum, qui negarunt, & negant, jure divino annexum esse Romanæ Cathedralis Primatum Ecclesiæ Catholicæ. Vis ex jure humano? ubinam istud jam fuit tempore S. Clementis? ubi canon? ubi mos? Vis ex facto S. Petri? ecquod istud? an fundatio, & instructio Ecclesiæ Romanæ? an mortis ibidem perpetratio? an, quia primus Urbis Episcopus fuit simul Apostolorum, & omnium fidelium Caput à Christo constitutus? Cave, ne hic aut fallaciam æquivocationis committas in syllogismo, aut id supponas, quod est in quæstione." (c)

Pol! quantus ille apparatus interrogationum! sed venit ad me quoque interrogandi ordo. Quem hic alloqueris, VIR CLARISSIME? Mene, qui regione sum Trevir, & ut pueri uno sæpe terrentur Nicolaos, si quem forte conspiciunt, vel adversum experiuntur, sic ad minimum terreri putes duobus? Suspicio enim mihi est, multisque fundata modis, me esse, quem impetas. Sed quis iste ludus est? quis abusus Venerandi amborum nominis CUSANI, atque HONTHEMII; dum comparantur iis Nicolaorum larvis, quæ fronte caperata, trucidibus, minacibusque oculis, proluxa barba, ac tonitru quodam verborum innocuæ sunt terriculamenta ætatis? Aut an forte ad etymon alludebas Nicolai, quod & victorem populi significare possit; tanquam si imbellis vulgus haberi debeat gens illa Theologorum, quæ aliam hæc in materia opinionem, quam quæ hisce duobus placuisset Viris, sectata fuerit? Vide, ne non laus ista sit, sed assentatio mera, qua nec

H

alter

(c) §. IX. sub asterisco pag. 43.

alter delectetur in caelis, alterque excelsioris animi sit, quam ut ea pascatur in terris. Cæterum Uterque hic mihi NICOLAUS maximo est in pretio, tanquam qui unus fuerit, sitque etiamnum post mortem; alter & fuerit iamtum, sitque adhuc, ac futurus post fata sit Patriæ meæ non vulgare decus, & ornamentum. Neque tamen vel unius, vel alterius, vel etiam amborum conjuncta me retinebit autoritas, quo minus id sentire pergam, quod sensi, cohesionem Primatus cum Episcopatu Romano esse *Divini Juris*. Nam cur celem ita sensisse me aliquando, atque illam etiamnum menti meæ arridere sententiam? Et refragari quidem huic CUSANUM, locumque ubi refragetur, scio. HONTHEMIUM tamen contra me stare nescivi. Vellemque, tu produxisses locum sive ex *Trevirorum Historia Diplomatica*, quæ celebre adeo ac nunquam intermoriturum reddidit HONTHEMII nomen; sive ex *Prodromo ad Historiam Trevirensis dogmaticam & pragmaticam*; sive ex alio ejus, quod hucusque non viderim, opere; sive demum ex Thesibus Præsides quondam ILLUSTRISSIMO hoc VIRO, qui & TREVIRIS Ipse ante annos amplius quadraginta Jurium Professore egit, in lucem datis, ubi dissensio ista, apertisque contineretur verbis, ut tanto magis de illa certus redderem. Nisi forte privatis in congressibus, sermonibusque hanc Ille Tibi mentem suam aperuerit. Quoquo modo se res habeat: novi modestiam HONTHEMII, novi æquitatem animi; quin & humanitatem ab eo singularem me experiri memini, cum annis abhinc decem & sex ad familiare admittebat alloquium, in quo multa fuit, jucundaque de rebus ad eruditionem pertinentibus sermocinatio. Quamvis igitur sim regione Trevir, non id Ille vitio vertet populari suo, si in ea, quæ circa istud thema est, sentiendi libertate, & argumentis ita ferentibus, vincentibusque, in oppositam Ipsi partem concessero.

§. XVI. Redeo ad te, qui tantisper me divertebas. Quæris: Vis HOC &c. Quæro vicissim ego: adeone stolidum me fore censes, ut HOC, quodque totum est *falsi suppositi*, eo quod nemo viventi Petro successerit, proinde nec juris quidquam ad Primatum ista ex successione adeptus fuerit, demonstrarem tibi ex *præcepto Christi*, quod solos juxta me illos respicit, qui PETRO Episcopatum simul & Primatum deponenti nonnisi post ejus mortem succederent? Dicam amplius:

plius: quamvis certa mihi res sit, conjuncta hæsisse semper, ex quo PETRUS diem suum obiit, hæc duo, Episcopatum scilicet Romanum, atque Primatum; absit tamen, ut, conjunctionem ipsam si demonstrare velim, ad originem ejus incertam, *Jus* videlicet *Divinum*, quamvis juxta me hæc reipsa origo sit, recurrendum putem. Non ita processi in dictatis meis, hæc forte si habuisti, aut alius exitit, qui ex iis excerpta transmitteret. Conjunctionem hæc certam faciunt, quæ retuli §. XIV. atque ex talibus eam stabilivi. Verbo *authoritas* illam, nec controversa, sed plane evidens, certam reddidit. Id potius ego feci, ut præmissis certis, incerta ac controversa, quæ tamen verisimilem cum prioribus nexum haberent, concludenda ducerem. Sciebam quippe ex incerto nullum certum effici consequens. Sciebam simul, ex certo, ubi applicatio accederet verosimilis, verosimile aliquid inferri posse. Atque utinam hanc Tu secutus esses methodum, ac verosimiliter Patrum dicta, quæ citabas §. V. in rem tuam vertisses, non illud Systematis portentum, quod MAGNI OPINATORIS AC DIVINATORIS, si non SOMNIATORIS potius tam juste Tibi titulum accersit, e *sinu facultatis tuæ imaginativæ* proditurum fuit. (d) Quid ergo feci? Ex perpetua, atque ad hoc usque tempus non interrupta conjunctione partim a Patribus, partim a Conciliis asserta ac definita Jus Divinum velut illius originem, non autem ex origine ista, quam Catholicorum scio controversiis subjacere, vel conjunctionem ipsam, vel conjunctionis perpetuitatem deduxi, quamvis necessitatem, & immutabilitatem, quam apprime distingui necesse est, recte inde, non tamen *apodeictice*, mihi conclusisse videar. Atque hæc cum protuli, cæteris in illo quæstionum apparatu contentis, quæque non feriunt me, supersedere possum: quoniam si nihil ad ea respondero, etiam id, quod satis est.

§ XVII. Pergit sciscitari VIR CLARISSIMUS: "Mortuo S. Petro, dic., *ad quem pertinuit, toti Ecclesie, per orbem diffusæ, porroque diffundendæ præficere Caput juxta formam, quam ei Christus dedit* constituendo Apostolorum Caput S. Petrum? an ad solam Ro-

H 2

mæ

(d) *Jure retorsionis utor. Videatur P.I. §. V.*

" mæ Ecclesiam? unde? an ad omnem Ecclesiarum collectionem?
 " Num hæc sibi præfecit *Clementem*?" (e)

Talia sciscitanti hoc primum reponi potest: inhærere ipsum præconcepto Systemati de Successione illa CLEMENTIS in Episcopatu superstitite etiamnum in vivis PETRO; quod quam male materiaum fuerit, ac ne verosimile quidem ab ipso redditum, necesse non est repetere. Gratis etiam permessa illa successione, est, quod dici possit, ac debeat, videlicet non fuisse opus, ut vel *sola Romæ Ecclesia*, vel *Ecclesiarum omnium collectio* de CLEMENTE Capite sibi constituendo laboraret. Si PETRUS vivus illum Sibi Successorem dare potuit in Episcopatu, solo retento *Apostolatus Primatu*; si hoc potuit LINO usque adeo, CLETOque jam vita functis, undecunque hæc PETRO potestas fuerit; potuit Eum etiam *Coadjutorem* adsciscere Primatus sui, & adscivisse credendus est pleno cum succedendi jure, quæcunque in PETRO hujus sit potestatis origo. Coadjutor autem hujusmodi nova non indiget designatione, sed ipso, quod acquisivit, jure in defuncti locum immittitur. Taceo hoc minus recte, aut saltem seposito verborum rigore quæri: ad quem pertineat PRÆFICERE. Vin' scire, istud ad quem pertineat? Non ad *solam Romæ Ecclesiam*; non ad *Ecclesiarum omnium collectionem*; imo nec ad PETRUM ipsum. Præficere est potestatem dare; & potestatem Capitis CHRISTO in terris Vicarii nemo dat, nisi CHRISTUS Ipse, etsi nominationem ab hominibus ejus patiatur fieri personæ, cui potestatem illam attribuat.

Reponi potest secundo, & juxta Systema verum, in quo nullum PETRUS Successorem habuit ne in Cathedra quidem Romana, quoad in vivis ageret: si, PETRO mortuo, sola Romæ Ecclesia Episcopum sibi seligere potuit (& nunquid id potuisse diceres, si tunc nullus existeret?) seligendi quoque universæ Ecclesiæ Primatem suum facultas illi fuit, quin aliarum ad hoc opus esset concursu Ecclesiarum. Si autem quæritur: Unde? Responsum non tibi dabitur: non quia nulum dari potest; sed quia non tale, quod certitudinis attingat gradum. Insinuavi jam satis, repetamque, incertum esse modum illum, quo col-

(e) §. IX. sub asterisco pag. 43.

colligata invicem fuerint Episcopatus Romanus, & Supremi Episcopi, CHRISTIque in terris vices agentis dignitas, nisi quod sublato e vivis PETRO, qui eadem ambo tenuit, semper colligata hæsisse certissimum haberi debeat. Nunquid omnes concedimus, quæstionem AN a quæstione QUOMODO fecerni oportere? quodque ad illam responderetur, tutum omnino limpidumque esse posse, etiamsi aut verisimilibus tantum responsis expediatur posterior, aut quid huic sit respondendum, ignoretur plane? Quoties in Physicis certissimi sunt effectus, omniumque sensuum testimoniis concordēs, etiamsi non modus solum, quo fiant, sed & causæ ipsæ altissimis sint involuta tenebris? Atque ut non extra propria septa me debeam conferre, nunquid distinguimus omnes quæstionem, *an Petrus Romam venerit, an Ecclesiam illic fundavit, an ejus Ecclesiæ Episcopatum gesserit, an mortuus denuin ibi, sepultusque fuerit*, a quæstionibus iis, quæ circa *adjuncta* formantur: velut *quâ occasione, quo modo, quo tempore Romam venerit, quamdiu gesserit Episcopatum, quo suo, quo CHRISTI, quo Neronis anno mortem oppetierit*? Et nunquid dirimi priores, nunquid omni cum certitudine, quam quis in hoc genere requirat, finiri possunt; etiamsi non perspicua æque, facilisque sit ad posteriores responsio, imo controversiis haud levibus etiam inter nostræ fidei homines subjecta? Quod si ita est, quis non videt pariter, suam plenamque huic rei certitudinem constare posse, CLEMENTEM ac quisquis ante hunc, vel in posterum fuerit, qui a PETRI morte Romanum gessit Episcopatum, Primatum cum illo simul gessisse; etiamsi, quo id factum sit modo, ut Primatus Episcopatus necceretur, quique Episcopi, iidem Primates fierent, aut nonnisi verosimiliter statui, aut prorsus definiri non possit? Satis, modum hujusce rei aliquem fuisse *possibilem*: satis, non defuisse sufficientem ac requisitum: quoniam quidquid est, certissimisque argumentis probatur esse, id & modum habere suum requisitum, ac sufficientem, ut sit, dubitari non debet. Quare demum hoc Tibi contigit, VIR CLARISSIME! ut qui cavendum a fovea monuisti, in foveam ipse incideres. Supposuisti, inquam, Tute, quod supponendum non fuit. Supposuisti unum quempiam pluribus ex modis figendum prius, evincendumque esse, atque in hac veluti basi erigendam assertionem illam: *Clemens I. fuit totius*

Ecclesia Primas; maxime si quis eam demonstratam cupiat. Ego vero & ostendi necessitatem ejus rei nullam esse, & hoc potius cavendum moneo, ne quis ex modo id statuendum putet, quod evenerit; sed eo applicet eventum, ut modum, qui cum illo magis cohærere videatur, determinet. Hoc THEOLOGI SYSTEMATICI, hoc CANONISTÆ, hoc BONI LOGICI erit.

§. XVIII. Interrogationum satur, ac qui satis jam proposuisset ænigmatum nulli OEdipo solvendorum; ita concludit VIR CLARISSIMUS: "Dic ergo, quòd, *disponente* per suam providentiam *Dominus*, effectum sit, ut *Petrus*, relicta Antiochiâ, Romæ eligeret sedem, indèque, ut Apostolatu suo fungeretur alibi, discedens, denuò tandem reverteretur ad Urbem, *Romani Imperii caput, ac sedem*, cujus urbis ecclesia, à Capite totius ecclesiæ fundata, ejusque martyrio honorata, facta sit *Mater omnium ecclesiarum*, aliarum quidem per spiritualem *generationem*, tanquam filiarum à Romanâ egressarum, aliarum verò per *accessionem, & adoptionem*, quatenùs etiam illæ, quæ à Romanâ non erant egressæ, ecclesiæ eandem pro almâ suâ matre venerabantur. *Successivè* hoc factum est, in Imperio tamen Romano proniùs ac citiùs, eòquòd Roma mundi caput esset: ita, ut S. Irenæus *lib. 3. cap. 3.* rem jam sæc. II. confectam, fixam, atque vigentem descripserit: *ad hanc enim ecclesiam PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM* (i. e. majoritatem omnium ecclesiarum summam) *NECESSE est OMNEM convenire ECCLESIAM, hoc est, eos, QUI SUNT UNDIQUE, fideles.* *NECESSE, inquam, est,* tum *ex institutione Christi*, quâ voluit, fore *aliquod Caput* suæ visibilis ecclesiæ visibile, tum *ex determinatione Ecclesiarum*, quæ vel ex Romanâ prodierunt, genitæ per eam, vel ad eam se contulerunt, aliunde jam genitæ; id quod necesse viderant esse ad obediendum Christi institutioni *in thesi* cùm *in hypothesis* istius manifestæ Dei sic disponentis providentiæ non potuerit alia ecclesia ad hoc commodiùs, digniùsque determinari, quàm existens in Urbe orbi imperante." (f)

Multa hæc sunt, quæ retuli ex VIRO CLARISSIMO; quoniam tamen

(f) §. IX. sub asterisco pag. 43. & 44.

tamen implicata nimis invicem, connexaque sunt, una serie referenda omnia fuerunt. Sed an triumphum captavit ea in conclusione? Obstant, quæ dixi; & eliso, vel *in vanum assumpto antecedente frustra superstruetur consequens*. Si etiam se solo illud, neque ut deductum, spectabitur, quomodo id dicam, quod vult dici CLARISSIMUS? Itane vero! Hæc dicam ego, Primatum per reliquum primum a PETRI morte vacasse sæculum, donec tandem sæculo II. ac prope sub IRENÆI tempora ille Romanus emergeret Pontifex, qui conjunctum illum cum Episcopatu teneret? Quid ergo fiet Primatu CLEMENTIS? Non solum pro incerto habendus, sed penitus negandus erit; negandus autem vel maxime, si de illo loquamur tempore, quod a PETRI morte proximum decurrit. Quantæcunque enim crisi exposita, incertaque sit Chronologia; qui PETRI vitam ultra primum producat æræ Christianæ sæculum, nemo unus existit. An autem hoc volebas, CLARISSIME! aut nunquam, aut diuturno saltem post PETRI obitum tempore Primatum non esse gestum a CLEMENTE? Plus ergo significasti, quam dixisti. Dicendo meticulosum duntaxat te prodicisti, ne id certum alleverares, quod forte verum non sit; significando, & rei certitudinem, & rem ipsam negasti. Quodsi autem incertus, imo nec verus sit quidem Primatus CLEMENTIS; si non ideo verus, quoniam secundum est expectandum sæculum, ac jam satis adultum, donec Romanorum sit Pontificum aliquis, qui cum capessit sedem stabili donatum: vide, quid consequens ista ex re sit. Alius EVARISTI, alius ALEXANDRI; alius prioribus istis ac te multo fidentior SIXTI quoque, si non omnium prope ad IRENÆI ætatem Romæ Episcoporum se litem Primatu movere posse arbitrabitur. Quid ita? *Successive hoc factum est*, ut Romana Ecclesia facta sit *mater aliarum Ecclesiarum* triplici illo per te adducto modo; neque quo id tempore factum sit, aut tu satis ipse determinas, aut alius sibi determinandum ducet in tanta Chronologiæ incertitudine; nisi quod forte sensurus sit tecum, *rem jam confectam, fixam, atque vigentem*, dum IRENÆUS ea, quæ profers, scripsit. Atqui & ipse hic IRENÆUS, & ipso, quem profers loco, non jam sextum modo, septimum, & octavum; sed duodecimura plane post Apostolos PETRUM, & PAULUM, suæ ætatis Romanorum Pontificem commemorat ELEU-

THE-

THERIUM. En ergo uni mota lis, quantas post se trahet alias! en quo abducat illa litigandi licentia!

§. XIX. Videamus nunc, quam recte sis usus textu IRENÆI, quamque apta illum interpretatione donaris. Ubi hoc primum mihi gratulor, quod POTENTIOREM PRINCIPALITATEM *majoritatem Ecclesiarum omnium summam*, neque cum Jansenista Anonymo (g) politicum Urbis orbi dominantis principatum, interpretandam duxeris. Manifestum enim hac ratione arbitror, *principalitatem* abs te illam intelligi, quam Romana habeat Ecclesia, eoquod sit *mater omnium Ecclesiarum*, ejusque Episcopus communis omnium fidelium Pater, etiamsi modum, quo enata ea sit *principalitas*, nonnisi succedaneum ponas; etiamsi hunc petas ultimo ex *determinatione Ecclesiarum*, quæ a Romana non erant egressæ, causamque, cur eæ sic potius, quam aliter sese determinaverint, fuisse velis, quod Roma *mundi caput* esset, atque *in hypothesisi manifestæ Dei sic disponentis providentiæ* non potuerit alia Ecclesia *commodius ad hoc, digniusque determinari, quam existens in Urbe orbi imperante*. Gratulor deinde, quod verba illa: *Ad hanc enim Ecclesiam* junctæ cum *conveniendi* vocabulo, contra quam Anonymus ille sentiat, (b) de consensu in fide ac traditione, de communionem cum Romana Ecclesia, illiusque Episcopo tanquam unitatis centro ab omnibus servanda fidelibus, jam satis recte accipi possint. Gratulor denique, quod conspirationis hujus, ac communionis necessitatem ex *majoritate omnium Ecclesiarum summa*, facta per Temetipsum ad id potestate, concludere liceat. His quippe tribus sic constitutis, manifestum me facturum arbitror, primo contra rectas Hermeneuticæ regulas, soloque tuo ex arbitrio id asseruisse te, quod rem hanc, eoque, quo asseruisti, modo gestam JAM SÆCULO II. confectam, fixam, atque vigentem descripserit IRENÆUS. Secundo huc potius omnia conspirare, ut credamus, assertam ab IRENÆO principalitatem eandem ipsam esse, quam in Romanam Ecclesiam intulit S. PETRUS, quæque semel illuc illata semper eidem adhæserit, adeo, ut post D. PETRI obitum in nullo ejus Successore vel vacasse unquam, vel tantillum nutasse existimari possit.

Pri-

(g) Pag. 470.

(b) Pag. 462. & seq.

Primum ut pateat, nihil aliud est dicendum, quam neque in textu IRENÆI quidquam esse, quod triplicem tuum exposcat modum, quo nata, confectaue sit principalitas Ecclesiæ Romanæ, & cum tanta quidem, quantam tibi statuere libitum fuit, successione; neque antecedentia, aut consequentia totius capituli si inspiciantur, ullam apparituram sententiam, aut etiam sententiæ alicujus laciniam, quæ hanc præ alia quavis interpretationem requirat. Æquitarem appello Lectoris cujuslibet, qui cum textum abs te productum in verbis suis expenderit, Ipsum adire IRENÆUM, cumque his, quæ toto illo disse-runtur capite, conferre diligenter, atque ad amissim explorare non dedignabitur.

Alterum autem annon ipse satis ostendit IRENÆI scopus, modusque, quo ad illum connisus fuit? Scopus erat, ut *traditione*, eaque genuina prorsus, uniformi, atque constante hæreticos sui ævi confunderet; *traditionem* autem non alia certius via, quam *successione Episcoporum* ab Iphis inde Apostolis repetenda, ad nos pervenisse ostenderet. Cum vero *longum haberet in hoc tali volumine suo omnium Ecclesiarum enumerare successiones*: compendio se rem agere posse credidit, si modo *Maxima, & Antiquissima, & omnibus cognita, a gloriosissimis duobus Apostolis PETRO & PAULO Romæ fundata & constituta Ecclesiæ eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicaret*; satis id fore, ut attingeret scopum, confunderetque omnes eos, qui *quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt*. Rationem accipe. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorum principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio*. Itaque & solos jam Ille enumerat Episcopos Romæ, quos eo numero, ac ratione, qua invicem successisse credidit, ad ætatem usque suam perduxit. Atque istud dum fecit (Nam præterea integram nullam, nominibusque distinctam suis successione protulit) ad hunc modum conclusit: *Hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconiatio pervenit usque ad nos: & est plenissima hæc ostensio, unam &*

eandem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate. Conferantur nunc quæso, omnia ista, & quo valere possint, quorsum conspirent denique, attendatur, IRENÆUS cum *traditione* pugnare vellet, ea, quæ est Ecclesiæ Romanæ, pugnandum censuit præ cæteris. Quid causæ est? Videbatur hæc Ipsi una esse instar reliquarum omnium; in hac una velut in cardine suo rebatur verti, quidquid reliquæ per orbem crederent Ecclesiæ; unam proinde hanc dum protulisset, dum firmasset ex *successione* Episcoporum suorum, *plenissimam simul ostensionem* se fecisse, *unam atque eandem vivificatricem omnium fidem* se demonstrasse putabat. Cur autem istud? quia *necessè est, ad hanc Ecclesiam omnem convenire Ecclesiam*; convenire, inquam, in fide, doctrina, communione cum illius membris, ac Capite. Et quæ hujus ratio necessitatis? *Potentior principalitas*, quæ Ecclesiam Romæ super reliquas effert Ecclesias; quæ Romanæ traditioni, ac fidei illum conciliat *externum splendorem*, ac *quoad nos pondus* adjicit, ut dum ex traditione, fideque illa certatur, communi Ecclesiarum omnium traditione certatum videri possit. Et post hæc quis non intelligat, aut non multo id saltem habeat verosimilius, uti traditio, fidesque perpetuo est conservata Romæ, & non a Romanis solum, verum & ab his, *qui sunt undique fidelibus*, ob perpetuam illam cum Romana traditione, ac fide consensionem; sic & necessitatem hujus consensionis perpetuam fuisse quandam; atque haud secus causam necessitatis perpetuam, *potentiores scilicet principalitatem*, quæ semel a D. PETRO in Romanam illata Ecclesiam, in quemlibet inde Successorem ab ejus morte transmissa fuerit; imo sic quoque sensitse IRENÆUM, atque hoc ipsum jam occupasse, dum MAXIMAM eam, dum OMNIBUS cognitam appellabat Ecclesiam? *maximam* scilicet non secundo solum, sed etiam primo sæculo; *omnibus* non suam circa ætatem modo, sed etiam præteritis retro temporibus cognitam: quia semper & magnitudinem retinuit illam, qua ob sacrum PETRI principatum inclaruit; & ex ea se spectabilem cuique, ac præ reliquis omnibus cognoscendam obtulit.

Prætereo argumentum ex ipsis, ut loqui mos est, *rei visceribus* desumptum, quo evincerem, *principalitatem*, qualem tu statuis, tisque illis enatam modis, neque cum hæc scriberet IRENÆUS, neque longo

longo fatis post tempore *confectam*, nedum *fixam*, atque *vigentem* extare potuisse: eo quod fatis habeam, textum cum contextu collatum nihil afferre in rem tuam præsidii; quod autem obsit, plurimum.

§. XX. Sed tamen " conforme hoc est (quod dici voluit CLARRISSIMUS, atque ex IRENÆO stabiliendum putavit) " Conc. Chalcedon. Defin. 28. *Antiquæ Romæ throno, QUOD URBS ILLA IMPERARET, jure PATRES privilegia TRIBUERUNT. Et eadem consideratione moti 150. Dei amantissimi Episcopi sanctissimo NOVÆ ROMÆ throno equalia privilegia tribuerunt, rectè judicantes, URBEM, QUÆ ET IMPERIO, ET SENATU HONORATA SIT, ET ÆQUALIBUS CUM ANTIQUISSIMA REGINA ROMA PRIVILEGIIS FRUATUR, etiam in rebus ecclesiasticis, non secùs ac illam, extolli ac magni fieri, SECUNDAM post illam existentem.* Harduin. Conc. Tom. II. col. 614. Adde col. 626. Act. 16." (i)

Quid, si conforme esset, ideone vicisses? ideone obstrictos teneres nos, ut ad eum canonem NB. 28. (aut, ut tu vocas, *definitionem*, non quidem male; fors tamen ea ductus ratione, quam infra patefaciam) mentem, loquendique rationem nostram componeremus? Nunquid hic ipse canon est, cui intercesserunt Legati Apostolici? cui tanta cum fortitudine restitit *S. Leo*? cujus dispositionem veluti N. CÆNO canoni adversam per tot annorum decades Romana improbavit Ecclesia? Præformata enim jam fuerat can. 2. vel si alia fiat divisio, 3tio Synodi CONSTANTINOPOLITANÆ I. neque interea Papalem ullum obtinuerat assensum. Nosti, me verum scribere; imo nosti, quot postea non decadibus solum annorum, sed sæculis integris tum adversus CONSTANTINOPOLITANUM canonem, tum adversus CHALCEDONENSEM 28. reclamatum fuerit a Romanis. Quare non opus est, ista nunc persequi pluribus. Intercessionem tamen a Legatis factam in Concilio CHALCEDONENSI, quoniam non protulisti tu (& in promptu causa est, cur non protuleris) prætereundam tanto minus existimavi, quanto magis tuum sequendum fuit consilium, ut HARDUINI columnæ diligenter invicem conferrentur.

I 2

rentur.

(i) §. IX. sub asterisco pag. 44.

rentur. En igitur illam, posteaquam cum duabus a te citatis etiam tertiam contuli 643. act. 16. *Lucentius Reverendissimus Episcopus, Vicarius Sedis Apostolicae dixit: Sedes Apostolica nobis presentibus humiliari non debet* (in græco : *nobis presentibus omnia fieri precepit*) & ideo quæcunque in præjudicium Canonum, vel regularum besterna die gesta sunt nobis absentibus, sublimitatem vestram petimus, ut circumduci jubebatis : *sin alias ; contradictio nostra his gestis inhereat, ut noverimus, quid Apostolico Viro, Universalis Ecclesie Papæ* (in græco : *& totius Ecclesie præcipuo Episcopo*) referre debeamus : *ut Ipse aut DE SUÆ SEDIS INJURIA, aut de CANONUM EVERSIONE possit ferre sententiam.*

Sentio, quid obmovere possis : Canonem diu a se improbatum aliquando tamen Romana est amplexata Ecclesia. In quo igitur ? An quod toleraverit tandem alterum illum Episcopi novæ Romæ locum, tanta cum arrogancia quæsitum ? an quod indulserit etiam ? Fateor. Sed an idcirco & illud ratum habuit : *Antiquæ Romæ Throno, eo quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt ? An incidens quoque illud : recte judicantes ? vel judicandi propositam ibidem rationem ex æqualitate politica derivatam ?* Quibus id me ex monumentis docebis ?

Dabo tamen, & utrumque hoc ratum habuisse denique, ut nullus in me sit prætermisæ liberalitatis defectus. Age, de quibus igitur privilegiis est illic sermo ? Loquatur ipse Canon in his, quæ illico subjicit : *Et ut Ponticæ, & Asiæ, & Thraciæ DIOECESIOS* (satis intelligis hoc vocabulum antiquorum ex usu acceptum) *Metropolitani soli, præterea Episcopi prædictarum Diæcesum, quæ (k) sunt inter barbaros, a prædicto Throno Sanctissime CONSTANTINOPOLITANÆ Ecclesie ordinentur. . . convenientibus de more factis electionibus, & ad Ipsum velatis.* Nonnisi PATRIARCHICA ista sunt privilegia, humanique juris, quæ præter secundum honorem, ac sessionis locum, juris pariter duntaxat humani, CONSTANTINOPOLEOS, seu NOVÆ ROMÆ adjiciuntur Episcopo. Quidni ergo nonnisi PATRIARCHICA sint, eademque humani juris, quæ ad Primatum Pontificium

(k) fortassis: qui. Confer Hard. col. 627. uti & col. 613. & col. 628. textum græcum.

citum per temetipsum non humano duntaxat, sed divino CHRISTI jure constitutum haud quaquam extendi debeant, quæ PATRES quondam five in Conciliis congregati, five extra illa in Romanam Sedem contulerunt? Convenit enim inter nos, non modo PRIMATEM UNIVERSÆ ECCLESIÆ, sed & PATRIARCHAM OCCIDENTIS Romanum esse Episcopum, neque ad præsentem pertinet controversiam, ut, quanta sint Primatus divinitus instituti jura, quantumque iis per Ecclesiam adjici possit, definiatur. Si quid poterit adjici, illud profecto est, quod jure divina haud satis determinatum fuit, ut humano fuerit determinandum amplius. Imo, annon Canon ipse ea habet pro PATRIARCHICIS? quoniam iisdem ÆQUALIA a centum quinquaginta Episcopis in NOVÆ ROMÆ THRONUM congesta docet; & quod æquaret Primatum D. PETRI, neque in solidum adjudicare utrique Throno, neque partiri inter utriusque Throni Episcopos in mentem venit eorum, qui præcunte sibi CONSTANTINOPOLITANA Synodo, canonem illum instaurandum duxerunt. Ecquid igitur movere te potuit, ut Patres CHALCEDONENSES de privilegiis per se ac divinitus Primatui, quamvis non juxta te Sedi, affixis locutos, ac velut a Patribus priorum temporum Romanam potius, quam aliam in Sedem congesta fuissent, decrevisse arbitraris? Rationis nihil invenio, nisi quod patrociniam a non cogitantibus, imo & invitis extorquere volueris.

§. XXI. Lustrandum modo, an, cum nihil conforme dictis tuis CHALCEDONENSI conseceris ex Concilio, salvare saltem potueris FLORENTINUM. Verba tua in Additione Ima sic sonant: "Salva nihilominus est definitio S. Concilii generalis Florentini de an. 1439. "item diffinitus, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque ecclesie Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; QUEMADMODUM ETIAM (καὶ ἐν τῶν τῶν καὶ, quod aliqui vertunt, quemadmodum &) in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Hæc, inquam, definitio

” finitio salvatur; simul enim atque plurimæ ecclesiæ id, quod *Christus*
 ” *in genere, & nullâ particulari ecclesiâ nominatâ*, instituit, ad Roma-
 ” nam Ecclesiam, ejusque Pontificem determinârunt, *subintravit* tota
 ” ac plena S Petri potestas, eadêmque non *humani duntaxat*, sed etiam
 ” *divini juris.*” (1)

Quam hæc belle, quam paucis, velut si in oculum res insiliret, dicuntur! Quam autem & belle, & haud secus paucis dispungi possunt, si dixerò, neque IRENÆUM, neque Concilium CHALCEDONENSE illam agnovisse Ecclesiarum determinationem, qua factum fuerit, ut *subintrare* debuerit *tota, plenaque S. Petri potestas*, quippe quæ semel in Romanam Ecclesiam ingressa, jamtum stabilem illic sedem acceperit, & in nullo illius Pontifice vacarit! At non oportet in tam paucis consistere me, ne nimis perfunctorie rem, quæ diligenter illustrari debuit, transcurrisse, aut minus de illa, quam oportet, Lectorum commonuisse videar.

Adparet ergo jam iterum, VIR CLARISSIME! negari abs te, nec modo incertum reputari Primatum Pontificium S. CLEMENSIS; adparet, incertos haud secus tibi esse, si non etiam negandos putes, Primatus plurium aliorum Romæ Pontificum. Nam simul atque PLURIMÆ Ecclesiæ id, quod *CHRISTUS in genere, & nulla particulari Ecclesiâ nominata instituit, ad Romanam Ecclesiam, ejusque Pontificem determinarunt*: TUNC enimvero (& non PRIUS) SUBINTRAVIT (quoniam jam intraverat quidem, sed tantum per modum hospitis, non adhuc stabilem habitura sedem) *tota, plenaque S. Petri potestas*; imo non hanc stabilem est adepta sedem sive in CLEMENTE, sive in iis, qui consecuti sunt, Romæ Pontificibus, donec *determinatio* illa absolveretur Ecclesiarum. Et quandonam hæc absoluta fuit? sub quo Pontifice? Incerta omnia sunt, nisi quod necessario ad hoc existente PLURIMARUM concursu res ista ex primo ad secundum sæculum devolvi debeat: quot interea Pontifices sine Primatu unquam gesto mortui fuerint, perinde habet. En inprimis aliquid, quod intactum præterire non debui.

Quodsi jam rationem ipsam, prout ratio est, atque ad salvandam FLORENTINI definitionem accommodatur, intueri velim; quam
 occur.

(1) §. IX. Addit. 1. pag. 44.

occurrunt multa, quæ mentionem de se fieri postulent! Cum autem non facere possim omnium, faciam aliquorum. Persuasum, ut reor, voluisti; si fallor, persuasum id saltem videri potuit (siquis ipsos non adeat fontes; & quotusquisque est, hoc qui faciat?) Concilii CHALCEDONENSIS hanc ipsam esse *definitionem*, quam profers: *Antique Romæ Throno* &c. Forsitan etiam *definitionis* potius, quam *canonis* vocabulo utendum censuisti, non quia ad id invitabat titulus: *ὅροι ἐκκλησιαστικοί*, id est: *Definitiones Ecclesiasticæ* &c. (Nam perinde, ut canonem diceres, quod mox subjicitur: *Tituli Canonum*, quodque deinceps occurrit: *Canon primus* &c. invitare poterat) sed quia significare volebas, æque venerandum, vel paræ authoritatis Canonem esse CHALCEDONENSEM, atque sic definitio FLORENTINI; cùmque prior juxta te asserat determinationem Ecclesiarum, sub *Patrum*, id est Episcoporum nomine; nihil jam adversum occurrere posse in posteriore, quæ proinde eo, quo tu faciebas, modo cum priore concilianda fuerit. At monendus hic mihi Lector est, totum, quod protulisti, nonnisi *rationem* definitionis, vel Canonis esse, quam distinguendam solícite ab ipsa *definitionis substantia*, neque semper paræ authoritate censendam, nisi nossem aliunde, docerer ab Authore Anonymo Principiorum Juris Ecclesiastici cap. VI. §. 44. En rei definitæ substantiam: "Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes, & Canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimæ rum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de privilegiis Sanctissimæ Ecclesie Constantinopolis novæ Romæ." In quoque RATIONEM decernendi: ET ENIM *Antique Romæ Throno* &c. quæ tu præcedentibus omisisti, atque etiam particula *causali*: ET ENIM, sola recitanda putasti. Monendus præterea, longè discrepantem esse, inde CHALCEDONENSIS Canonis, hinc FLORENTINÆ definitionis authoritatem. Definitio est ex earum numero, quæ *sibi* habentur; aut an tibi forsitan non videretur talis, eo quod FLORENTINI Patres uno solum in loco, ubi de SPIRITU S. agunt, sic loquantur diserte: *Definimus, ut HÆC FIDEI VERITAS ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod SPIRITUS S.* &c. in reliquis autem, quas subjungunt, definitionibus expressam *fidei* mentionem non faciant? At vide, ne hoc pacto
&

& tertia definitio, quæ est de valore Consecrationis in *azymo*, aut *fermentato* pane; itemque quarta, quæ est de statu animarum post hanc vitam, inter FIDEI definitiones computari non debeant. Liberalissimus tamen ut sim, si non fidei hæc sit definitio, id definiiri certe, quod *fidei proximum*, aut quod ab *omnibus* tenendum sit Christianis, iusticias ire non voles. Res vero est *meræ discipline*, quam CHALCEDONENSIS statuit Canon, illudque plane non statuit definiendo, *antiquæ Romæ Throno* sua per *Patres* privilegia tributa esse. Accedit, quod Canon a solis confectus Orientalibus reclamantem, & per multa sæcula habuerit Romanam Sedem; Definitio autem de communi Orientalis videlicet, & Occidentalis Ecclesiæ consensione, præsidente, illamque ratam habente EUGENIO IV. *totius Ecclesiæ Primatæ* confecta fuerit. Quam ergo dispar utriusque autoritas! quam eo certe sufficiens, ut Canon, vel *incidentia* Canonis ad normam potius definitionis, si alioquin torta sit nimis hujus, ac violenta expositio; quam definitio ad mensuram Canonis sit exigenda!

Atque hic ad reliqua deducor, de quibus Lectorem censui monendum; simulque Criten agam illius modi, quo per te salva consistit FLORENTINÆ Synodi definitio. Hæc *indefinite*, ut loquimur, citraque ullam exceptionem vel temporis, vel personarum pronuntiat, *Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum*; pronuntiat eodem modo, *Romanum Pontificem Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum* (scilicet in Primatu ipso) tum cætera, quæ sequuntur. Regula est autem: id genus enuntiationes & in materia dogmatica *universe* accipi. Si quandoque sit locus exceptioni, ea non facienda temere; sed gravibus, solidisque in medium allatis argumentis firmanda erit. Qualia isthic tu protulisti, ut CLEMENTEM, aut etiam complures alios, de quibus dubitari non potest, ROMANOS, & quidem PETRO jam mortuo, Pontifices fuisse, fas sit excipere? Cassas, ut vidimus, interrogationes; *adoptionem, & accessionem*, si satis mature cæptam, at sero nimis completam; textum IRÉNÆI, si non adversum, at nulla ratione propitium; CHALCEDONENSE Concilium nec in Canone favens, nec in *ratione* Canonis, imo manifeste de privilegiis duntaxat PATRIARCHICIS, *humanique juris* locutum. Hæc gravia quisquam, hæc solida existimabit, præsertim

sertim cum ponderis *externi* nihil, nisi a tua solius autoritate, iisdem inesse viderit? Frustra igitur & parenthesis immisces illam καὶ ὁ τροπον καὶ &c. tanquam si præsidii aliquid ex ipso textu nanciscereris. Scio, *Natales Alexandros*, aliosque Gallicanarum partium Theologos, scio, plures nunc etiam e Germanis limites inde colligere ejus potestatis, quæ Primatui divinitus instituto sit propria, ac plenitudinem præcipue illius ad gesta Conciliorum, Patrumque dicta moderandam docere, quoniam nonnisi salvo hoc moderamine, quod & infallibilitatem detrahat Pontifici, & Conciliis eum inferiorem faciat, stabilita fuerit a FLORENTINO. At qui limites colligat temporis, quod a PETRI obitu decurrit; qui personarum, quas interea legitimos, indubitatosque haberet Romæ Pontifices; alium præter te novi neminem, nescioque, an nosse possim: cum nec FEBRONIUM isto videam in numero, imo adversantem aperte tibi sub finem disquisitionis hujus sim producturus. Salva igitur est definitio Florentina, atque apprime conciliatur cum eo, quod IRENÆUS dixit; quod statuit, imo quod immiscuit tantum CHALCEDONENSE: sed salva fieri per rationem abs te productam, non debuit, non potuit.

§. XXII. Pergis Addit. 2. " Sic ego rem explico." (m) Recte, quod TE, & quidem *solum* hujus rei expositorem adducas. Nam nec alius, quam tu, SE facile PRÆSIDEM ejus exercitii, in quo novitas ista propugnatur, & haberi velit, & inscribere. Audiamus tamen, cur ita explices. " Quia non video, quòd aut *ipsa sibi Romana Ecclesia* " Primatum dare potuisset, " (Concedo, si sermo sit de donatione *primæva*, quia vel CHRISTUS hanc fecit, vel PETRUS; concedam usque adeo, si donationem tantum *secundam*, vel electionem novi Primatis intelligas, dummodo præscindi patiaris ab iis, quæ a prævia seu CHRISTI, seu PETRI voluntate statuta fuerint) " nec quòd ei S. " *Petrus*; " (Dicam hic tantum, non repugnare modum, quo id potuerit PETRUS. Addam, verosimilem quoque esse, atque a multis, magnique nominis Viris propugnatum, propugnari etiam adhuc; ubi, quem ducem tibi, patronumve habeas, nescio, an constet ulli; neminemque nos a te quidem ipso prolatum, contuiti sumus) " neque etiam, quòd,

K

(m) §. IX. Addit. 2. pag. 44.

" quòd, *ultra dispositionem aeternae Dei providentiae*, per quam Capitis
 " Ecclesiae Sedes perpetuò Urbi Romae affixa est, video *positivum DO-*
 " *MINI praeceptum*," (Quam facile ab aeterno sic providere, tam fa-
 " cile revelare in tempore, ac munire praecepto revelationem fuit, &
 " utrumque sic contigisse satis verosimiliter ducibus, patronisque multis
 " asseritur, quamvis ad evidentiam non videatur) " quo jussisset ipse,
 " *illi Ecclesiae fore dignitatem Capitis sibi Vicarii perpetuò annexam, in*
 " *quà S. Petrus fundaturus Episcopatum; ipsemet futurus esset particu-*
 " *laris simul ejusdem ecclesiae, hanc praerogativà honorandae, Episcopus,*
 " *idem mansurus usque ad mortem.*" Aggrederer hic te, nisi & sequen-
 " tia ob connexionem, falsasque his, & praecedentibus immixtas suppo-
 " sitiones, quas eadem opera patefacere volui, subnectenda fuissent.
 " Sanè certae fidei est Catholicis omnibus, quòd *S. Petrus fuerit visibile*
 " *totius Ecclesiae Caput*, sive, ut eum *Euseb.* in Chronico fol. 35. vocat,
 " *Christianorum Pontifex primus*; certae quoque historiae est, quòd *is*
 " *fuerit insimul primus Romae Episcopus, Romae crucifixus*: Nondum
 " verò certum est *praeceptum Domini*, quod designasset, *quis ex tot*
 " *particularium ecclesiarum episcopis deberet Petro succedere in Principatu*
 " *totius Ecclesiae*; nondum certa est, nec fiet hypothesis subsumenda,
 " quòd *Petrus Episcopatum Romanum tenuisset usque ad mortem suam*.
 " Non est hoc dogma fidei Catholicae: ergò nec illud, quod ab hoc
 " dependet: Hinc ista quidem propositio nobis est dogmatica: *Chri-*
 " *stus dedit Petro, & Successoribus ejus primatum*; quia non propter
 " *Petrum*, sed propter mansuram post eum *Ecclesiam* dedit; non autem
 " ista: *Episcopi Romae fuerunt successores Petri quia Primatis ideo, quia*
 " *Petrus, QUI PRIMAS ERAT, simul Episcopus Romae fuit.*" (n)

Audivimus ad satietatem. Concedimus verò, non esse certum
praeceptum Domini. Seu *dogma fidei Catholicae* hoc sit, seu non sit,
 quod *Petrus tenuisset Episcopatum Romanum usque ad mortem suam*; ne-
 gamus non esse CERTAM hypothesin istam, atque omni jure negan-
 dum contendimus prima hujus Disquisitionis parte. Quare hominis
 est multum in se ipso, & quidem solo fidentis, dum contrariae asser-
 tionis SE palam authorem facit, atque in ea tuenda PRÆSIDEM
 agnosci voluit.

Con-

(n) *ibid.* & pag. 45.

Concessimus, & negavimus: ostendamus quoque quid suppositum sit falsi, quantumque illud sit, ac supponi plane non debuerit. Supponitur imo eos, qui præceptum adstruunt, necessitate arctatos esse, ut ipso in præcepto involvant *hypothesein* PETRI eum ad mortem usque retinentis Episcopatum, in quo succedens, succederet quoque in Primatu. Fateor, congruenter admodum involvitur; sed necessitas nulla est involvendi. Potuit sic statuere CHRISTUS, ut PETRO mortuo, sive ad mortem hanc suam, sive ad tempus tantum Romanæ gessisset Episcopatum Ecclesiæ, ROMANUS, sive qui tum primum fieret, sive qui esset, Episcopus, una Primatum capesseret: quæstioque, an statuerit aliquid, præcisus istis moveri, quin & verosimiliter affirmantem in partem expediri poterit, etsi eorum nihil, a quibus præcisum fuit, definiendum sumatur. Supponitur 2do eos, qui a PETRI morte perpetuam volunt, atque ut certam tuerentur conjunctionem Primatus cum Episcopatu in Romanis Pontificibus, certitudine debere niti præcepti illius, quod conjunctionem fixam reddiderit. Falsissimum hoc est; atque inaniter id eos acturos jam occupatum fuit §. XIV. Supponitur 3tio, demonstrandi hoc Theorema: *eum, qui Petro mortuo Episcopatum Romanum gessit, Primatum una gessisse, non aliam viam esse, nisi & subsumeretur istud, simulque certum redderetur: PETRUM Episcopatum Romanum ad obitum usque suum tenuisse, ut proinde, quisquis Successor primus fuerit, non nisi ab ejus obitu esse potuerit.* Ego quamvis hoc certum habeam, certumque, ut puto, reddiderim prima istius Disquisitionis parte; non tamen ita *subsumi* debere, non, inquam, *subsumptum* tale ut necessarium *demonstrationis* medium agnosco. Aliter processu eodem §. XIV. procedamque nunc iterum modum servando, quem hic mihi ipse suggeris. *Certæ fidei est Catholicis omnibus, quod S. Petrus fuerit visibile totius Ecclesiæ Caput. Certæ fidei (aut an fallor isthuc?) certa ad minimum res erit, quod manserit tale Caput, usque dum moreretur. Certæ quoque Historiæ est, definitum a FLORENTINO fuisse anno 1439. Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput. Certa iterum res, Definitionem hanc esse Concilii OEcumenici, ab OMNIBUS Catholicis venerandam: Certa res, eam universe capiendam de omnibus saltem iis, qui post*

Petri obitum veri essent, indubitatiq̄ue Romani Pōntifices, per §. XXI. adeo, ut si etiam tolerabile tuum esset Systema de duobus Romæ Pōntificibus, sed D. PETRO præmortuis, ideoque facultatis aliquid, tibi autem necessitas foret eos excipiendi ex *universalitate* illa, quoniam Principatum vivo *Petro*, certoque, quoad vixit, sibi servante, adipisci nō potuissent; id tamen excipi, id exceptum tolerari nō posset, Romanorum quemquam Pontificum, & qui certissime S. PETRO superstes vixit, nō ejus in *Principatu* Successorem, nō *totius Ecclesie Caput* extitisse. Igitur & demum *certa* res erit, eum, qui primus a PETRI morte Romanorum Pontifex fuerit, & sic deinceps, qui secundus, qui tertius, Principatum illum, ac Capitis dignitatem cepisse. Igitur omni ratione *certum*, CLEMENTEM D. PETRO SUPERSTITEM nō Romanum solum Episcopum extitisse; sed etiam *totius Ecclesie Primatem*. En! quam ne ipso quidem Systemate tuo abduci eo debueris, ut litem moveres Primatui CLEMENTIS! En! quæ præciso hoc Systemate, aut etiam gratis transmissio, illorum, quæ colligebam, demonstratio produci valeat! Supponitur 4to, atque ex dictis eruere pronum est, quam etiam *falso*; DOGMATICAM hanc iis videri debere propositionem, atque ut DOGMATICAM vel supponendam, vel colligendam (*Episcopi Romæ fuerunt Successores Petri qua Primatis ideo, quia Petrus, qui Primas erat, simul Episcopus Romæ fuit;*) qui demonstratum putent, omnes a PETRI morte Romæ Episcopos, interque eos CLEMENTEM I. fuisse *totius Ecclesie Caput*. Non egemus hac *suppositione*: a *collectione* quoque abstinere possumus ob propositionis ejus sensum ambiguum, qui & DOGMATICUS dari possit, & talis quoque, ut intra *probabilitatis* subsistat limites, merumque in *Scholæ problema* recidat.

§. XXIII. Progredior ad HADRIANUM II. quo ultimum auctore certas eadem Additione secunda. "Hoc mihi videtur sensisse *Hadrianus II.*" Nescirem, quid illud HOC esset: an, quod præmiseras proxime; an, quod paulo ante; an proxima cum præcedentibus, atque in unum omnia collecta fascem, quæ in Additione, tuoque ex sensu ad eum usque locum disputata occurrunt; nisi sequentia evolverent magis, quid HADRIANUS iste, ac tecum, si Superis placer, sensisse videretur. Audiamus igitur, & sine interruptione totum, quod pro-

profers. "Hoc mihi videtur sensisse *Hadrianus II.* in Allocutione III. ad Synodum Romanam contra Photium añ. 868. apud *Harduin.* Tom. V. Conc. col. 866. Romani Episcopi *Sedi primùm Petri Apostoli meritum vel Principatus*, deinde secuta *jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in ecclesiis tradidit potestatem.* Nota hic quatuor: 1.) *Meritum S. Petri* per confessionem *Matth. 16.* 2.) *Principatum ejus*, *ibid. & Joan. 21.* 3.) *Jussione Domini*, nempe *generalem*, quã voluit manere usque ad consummationem sæculi formam suã Ecclesiã, supremum, sicut ordinaverat Petrum, habiturã Episcopum. 4.) *Auctoritatem Conciliorum*, quã, Domini *generalem jussione* secuta, nec non Romã dignioritatem attendentia, Primatum istum, usu ecclesiarum jam determinatum, canone scripto firmãrunt." (o) Audivimus: tertiumque, & quartum; num *Hadriani sententiam* exprimat, excutiemus, ubi primum aliquid circa ipsum textum, quod quidem multis leve videri possit, ponderis tamen alicujus esse ostendam, observaverimus.

Scribis: Romani Episcopi *Sedi &c.* & characterem varias in duobus primis vocabulis. Factum optime, & sic plane, ut fieri debuit. Nam verba, quã lego apud *HARDUINUM*, sunt: *Scientes, quia EJUS Sedi &c.* Omittis deinde vocabulum, quo inter dissyllaba brevius nullum esse possit; nam gemino duntaxat caractere constat: videlicet hunc *dativum*: *EI*, qui inter verbum *auctoritas*, & *singularem* interponi debuit, & interpositus reipsa fuit ab *HARDUINO*. Si jam quæris, quid ad rem istud: dicam, partimque tuo dicam ex sensu. Distinguis, nec ego fugio distinctionem istam, inter *primæva* Primatus jura, quã intima illi, *essentialia*, & invariabilia sunt, quoniam origo eorum ipsa est *CHRISTI institutio*; & inter *secundaria*, quã serius postmodum, & *humano* sint constituta *jure*, salvaque *Primatus essentia* abesse possint: velut quod idem is, qui Primatum gerit, *Patriarcha* sit *Occidentis*; quod *Italiæ Primas*; quod respectu quarundam Ecclesiarum *Metropolita*, vel *Archiepiscopus*; & sic communia quoque cum cæteris *Patriarchis*, *Primatibus nationum*, *Metropolitibus*, vel *Archiepiscopis* jura illa possideat, quã a Conciliis, & sacris Canonibus iisdem tributa leguntur. Distinguis quoque, nonnihil saltem, aut sic distingui

(o) *Ibid.* pag. 45.

posse non negabis inter *Sedem Petri*, quæ unica est, quæ perpetua,
 quæ semper eadem (loquor cum *antonomasia*, ut ROMANAM solam
 intelligi videas) & inter *insidentes illi* suo ex ordine, sed non cum ea-
 dem se nper *juris humani* potestate, Romanos Pontifices. Hæc cum
 præfatus fui, video, dativum EI de illo intelligi posse, de quo intelli-
 gitur *genitivus EJUS*. Video, HADRIANUM coherenter admo-
 dum, præsertim ad illa, quæ tu sentis, exponi de gemina potestate
 singulari, altera, quæ sit *divini juris*, quam *Sedi* tradiderit *B. Petri*
meritum, & principatus, quæque in nullo ejus Antistite defuerit; alte-
 ra, quæ sit *juris tantum humani*, quam DEINDE, id est progressu
 temporis veneranda tradiderit Conciliorum autoritas, vel potius usu
 jam traditam Canone scripto firmavit, non tam *sedis*, quam *sedentium*
 postea in eadem Episcoporum propriam, quoniam sine hac sedes
 ad tempus subsistit, ac subsistere deinceps potuisset, sedium nihilom-
 nus omnium nobilissima vel ob eam solam potestatem, quam tradidit
 ei, ac nunquam a se avulsam, *B. Petri meritum, & principatus*. Di-
 ceretur etiam, ac satis apte, Conciliorum autoritas in hoc *secuta jus-*
siorem Domini, sive *generalem*, sive *specialem*, quod etiamnum per-
 inde habeo; quoniam æquissimum fuit, ut Sedes, quæ Primatum ha-
 bet *jussione Domini constitutum*, atque ex eadem jussione *perpetuum*, in
 his, quæ per humanum accedere jus possent, aliis a se minoribus non
 solum æquaretur sedibus, verum & in nonnullis excelleret. Video
 quoque, si contextum inspicio, sermonem illic esse de Synodo tempo-
 ribus SYMMACHI Papæ, & adversus hunc a THEODORICO
 Rege coacta ex Episcopis LIGURIÆ, ÆMILIÆ, VALERIÆ, & ex
 diversis regionibus, & ex SICILIA Insula, quibus *ad se venientibus*
 Rex dixerit, *plura ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perta-*
ta, & in Synodi, si vera esset inimicorum ejus objectio, judicatione con-
stare: Venerabiles vero Antistites ipsum, qui dicebatur impetitus, de-
buisse Synodum convocare perhibuerint, scientes, quia ejus sedi primum
Petri Apostoli meritum &c. ut supra: *nec ante dictæ Sedis Antistites mi-*
norum subjacuisse judicio in propositione simili, facile forma aliqua testa-
retur. Scio autem, quorsum tu conjicias potestatem Synodos convo-
 candi, quæ est in Romanis Pontificibus, quamque certo non habeas
divinum illud privilegium, quo Romanæ Sedis Antistites minorum non
 possint

possint subjacere judicio. Utrumque satis loquuntur tot editæ abs te, aut tuo sub præsidio defensæ Theses; ac postremum speciatim vindex illa Dissertatio tua ad diem 3. Septembris anni MDCCLXVI. (p) Sed ab altero multo fortiori rerum suarum vindice, & cui usque ad hanc diem teneris, profligata (q) qua Joannem XII. sola in Provinciali Synodo Romæ congregata, ob solam morum deformitatem in jus tractum, exauctoratum ab eadem Synodo fuisse, & exauctorari legitime potuisse, vario argumentorum apparatu suadere voluisti. VIDEO igitur jam denique, non hoc TIBI VIDERI debuisse, de *singulari*, quæ in textu asseritur, *potestate* unam tuam, HADRIANIque esse sententiam, quem si explicares, explicationemque aptares & præcedentibus illic asseris, & simul pluribus, quas tuas negare non potes, sententiis, ita potius, ut suggererem ego, exponere debuisses. Sed sic expositus non favebat causæ tuæ, quam evertebat potius, si *meritum*, & *Principatus Petri*, neque præterea *Venerandorum Conciliorum auctoritas*, Primatum in Romanam invexisset Sedem. Appareret quippe, vel ex *facto Petri*, vel ex *speciali*, factum ipsum præcipiente, *Domini jussione*, ac Primatum perpetuo cum ea Sede necentis, præcipuam, ac maxime singularem, quia uni soli propriam, Sedis ejus potestatem descendere. Igitur cavendum plane a tali expositione. Non ultra sentiat HADRIANUS, quam sit necesse; & hoc omne, quod est necesse, sentiat. Jussione sentiat, sed *generalem* tantum, quam sit secuta auctoritas: & ubi singularem hæc tradidit potestatem, nonnisi Primatum tradidisse, vel Canone scripto roborasse intelligatur.

Videamus modo, an sic reipsa senserit HADRIANUS: nam tertium hæc sunt, quartumque ex notatis a te, quæ speciatim me discussurum sponondi. Videamus quoque, an, cum talia sentire dicis HADRIANUM, non temetipsum implices. Ac primo quidem *jussionis* indefinitum vocabalum non solum *generalem* hanc tuam, qua CHRISTUS voluit manere usque ad consummationem sæculi formam suæ
Eccle-

(p) *Nomen ei est: HISTORICO-JURIDICÆ VINDICIÆ. Exercitium, in quo continetur, confixum Romæ fuit anno MDCCLXVIII.*

(q) *In ANIMADVERSIONIBUS ad vindicias Historico-Juridicas mense Februario anno MDCCLXVII.*

Ecclesiæ, supremum, sicut ordinaverat PETRUM, habituræ Episcopum; sed etiam *specialem*, imo *specialissimam*, qua cum Romana Sede Primatum nexuisset, significare de se idoneum est. Sed enim non continetur hæc in Scripturis: An igitur omnis, quæcunque est Domini jussio, in Scripturas relata fuit? Nullane tradita? Sed enim non vides tu istam: An idcirco nec vidit HADRIANUS? An nec alii ante HADRIANUM Pontifices, ac Venerabiles Patres, quibus ille ad stipulandum putarit? Forte illud obstat, quod traditio hujusmodi non sit *fidei Catholicæ*, imo nec *certa* quidem? Nullane igitur *probabilia* aliquando dictis suis immiscent Pontifices? Si hoc faciunt Concilia, & interdum, quando definiunt; an minus potuit Pontifex, & cum tantum alloquitur Concilium? Ex textu, CLARISSIME! vel ex contextu petenda ratio fuerat, cur jussio hæc diceretur *generalis*. Quid vero in textu est, unde concludas *generalem*? An, quia sola hæc *certa* est, *specialis incerta*; Concilia autem non sequuntur *incertam*? Cuperem scire, quæ ergo sit vis ejus vocabuli: SËCUTA? An, quod hoc plane fecerint, hoc executioni dederint, quod jussit Dominus? Atqui sic certum erit, ea plus, quam *generalem* secuta esse jussionem. Enimvero an *generalis* hoc injungit, ut Primatus nectatur cum Romana Ecclesia? Si autem mirius ea sit explicanda vox, ut *sequi* tantundem sit, atque *respicere*, vel se *aliquo modo accommodare*; quomodo conficies, ad traditiones quoque probabiles non se interdum accommodare Concilia, ubi sunt certa, in eo, in quo se accommodant, se nihil *contra* Dominicam jussionem actura, si forte talem, aut de tali quapiam determinata re non existeret contingeret? An autem *tradendi* illa, vel *singularis potestatis* vocabula aliquid offerunt hujusmodi, quod jussionem nonnisi *generalem* exposcat? Quasi enimvero potestas illa, quocunque in sensu *singularis* fuerit, non æque *tradi*, id est *Canone scripto firmari* potuisset, sive ad *generalem*, sive ad *specialem*, sive ad utramque Domini jussionem respiciendo. Textus cum non faveat, an magis contextus? Equidem, quamvis non semel illum, & a capite ad calcem percurrerim, invenire nihil potui, quod faveret, nec, ut reor, alius quispiam inveniet. Unum miror: & in eo te implicas (nisi mitigaveris sententiam, quam tenuisti alias) quod *formam Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi mansuram* nunc demum ingredi incipiat SU-
PRE-

PREMIUM ECCLESIAE CAPUT, & in dignitate Capitis SUCCESSIONE, non obstante ea *temporis lacuna*, quod Successorem inter, & Decefforem intercurrere possit. Non ita loquebaris electus Professor, ac Laureae Doctoralis Candidatus; non jam Doctor sive in Dissert. DE IDEA VERAE CHRISTI ECCLESIAE, sive in vindiciis scriptis ad censuram Ubiam, (r) quas prae manibus habeo. Atque haec ad tertium.

Quartum vero cum excutio, quid, obsecro, in causa est, cur HADRIANUM solo de Primatu locutum dicamus? *Singularis potestas* nihilne aliud, quam hunc denotare, & annon aequè id totum exprimere possit, quidquid Sedi (ut jam nullam vim faciamus in pronomi- nibus EJUS, & EI) adhærescit eximium, & illustre, sive congenitum huic sit, caelitusque dispositum; sive accesserit deinceps, usu, & per humanos Canones firmato, fancitum? Annon illud PRIMUM, ac DEINDE hunc maxime obvium exhibent sensum? Annon partem, ut ita loquar, *singularis potestatis* alteram a B. PETRI merito, vel Principatu, alteram a Conciliis, receptos jam usus roborantibus, derivari permittunt? Et cur immisceas istud de Conciliis quoque ad DIGNIORITATEM ROMÆ attendentibus, deque Primatu jam USU ECCLESIAE DETERMINATO? Estne verbulum in textu, vel contextu, quod hanc HADRIANI ostendat mentem, vel eam mentis interpretationem suggerat? Sic ergo visus quidem est HADRIANUS sentire tecum, sed visus ex ea cerebri fecunditate, quæ tot peperit simulacra novarum rerum; aut si ex iudicio quoque facultatis intelligentis, non hæc velut nativa vi, ac rationum inclinata pondere, sed solo

(r) *Dissertatio vulgata fuit anno 1748. die 20. Septembris. Censura, ut arbitror, eodem anno lata: eodem aut mox insequente adornata vindicia, fortasse haud multis cognita, quoniam, quod sciam, hætenus eas non expressit typus. In Dissertatione §. XVII. pag. 7. data opera iudicaverat omittenda esse verba Canisianæ, ac vulgo notæ definitionis Ecclesie, hoc simul complectentis: sub uno in terris Capite, ac Rectore. In vindiciis præter alia totus quoque est in asserendo, tuendoque hoc factum.*

solo voluntatis jussu, ut HADRIANI consensionem decerneret, abducta fuit.

Fingamus demum *speciem* consensionis aliquam in Allocutione tertia: dubium mihi omne dispelleret Allocutio prima, in qua ita perstringit PHOTIUM Pontifex idem HADRIANUS: " *Post hæc vero posuit IN COELUM os suum, & lingua ejus transit SUPER TERRAM, dum videlicet CONTRA DIVINAM ORDINATIONEM COELITUS IN BEATI PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM PRIMATU DISPOSITAM putridi gurgitis guttur aperuit, & ADVERSUS EJUSDEM REGNI COELESTIS CLAVIGERI APOSTOLICAM SEDEM, ET PRÆCIPUAM, AC SUMMAM DIGNITATEM, ET POTESTATEM linguam suam more serpentis excavuit.* Harduin. Tom. V. Conc. col. 863. quæ tertia est ante eam, quam tu consuli voluisti. Manifestus hic sermo est de PRIMATU; nihil de Conciliis, vel usu Ecclesiarum, quæ illum Romanæ Sedi adjecterint. Mentio unica est DIVINÆ ORDINATIONIS; origo nulla nec ipsius Primatus, nec modi, quo ad Romanam devenerit Ecclesiam, nisi SUPER TERRAM, & IN COELO monstratur.

§. XXIV. Additione tertia, velut qui jam perfunctus sis omni negotio, ac pæana tibi occinere possis, id unum laboras, ut intempetivum, si quis forte in legentium animis supersit, cuique cedendum potius, quam propositæ a te veritati putent, metum excutias. Nempe: " Nec terreat quemquam temporis lacuna, quæ primo sæculo & secundo intercessisset, donec Episcopus Romæ à majore ecclesiarum parte agnosceretur pro supremo Episcoporum & fidelium omnium Patre ac Pastore, quasi multos annos stetisset acephalus Christi grex sine Pastore omnium uno; cum enim Christus quoad hoc *præceptum particulare* non dederit, ejusque semper nobiscum manens providentia suaviter hanc quoque rem disposuerit, necessum fuit tempus, ut *successivè* unirentur omnes particulares ecclesiæ *uni cuidam* præcellentiori & digniori, præsertim cum nulla adesset revelatio divina, sed expectandus esset rerum prosper successus, an Romæ stabiliter futura esset cum Episcopatu ecclesia. Quotiens autem Ecclesia nostra catholica non fuit, Deo sic permittente, sat multo tempore acephala?"

Cum

Cum pluribus id exemplis confirmasset ex PAPEBROCHIO, quæ necesse non est isthic adscribi; " Addamus, inquis, hic pertinax schisma contra " Urbanum VI., & ejus Successores, creatis horum Antipapis, quod " duravit ab an. 1378. usque ad annum 1417. Nónne his annis Eccle- " sia erat, aut verè, aut in effectû, acephala? sicut quoque tunc, cùm " sederunt Papæ inutiles. *arg. cap. 2. de transl. Episc.*, inutiles, in- " quam, sive propter vim majorem, quia ejecti aut captivi regere non " potuerunt, vel quia requisita utilis Rectoris non habuerunt. Nequid " repetam de incertitudine annorum, quot nempè Papparum quisque " sederit primis duobus sæculis." (s)

Cum pæana putes te hac ratione canere potuisse, Lectoris arbitrio relinquam ego, imo, quod principio faciebam, eruditi orbis appello sententiam, pro cujus parte victoria stet. Metus, quem eximere conaris, qui mea hæc legerint, haud facile eximeretur iis. Metuent, & jure merito, ne semel admilla *ea temporis lacuna* ad *secundum* usque se porrigente sæculum, alius superveniat, teque longius progrediendi licentiam sibi adsumens, qui ad *tertium*, atque iterum audacior alius, qui ad *quartum* usque, & ad NICÆNI saltem tempora *lacunam* porrigendam existimet. Tueri etiam se poterit eo argumento, quod in Concilio CHALCEDONENSI act. 16. (t) cum PASCHASINUS Legatus dixisset, itaque recitasset Nicænum Canonem: *quod Ecclesia Romana semper habuit primatum*; hæc lectio sit rejicienda, quia non consona lectioni Græcorum, aliter eundem Canonem recitantium: Primatus autem, quem aliquando habuit Ecclesia Romana, intelligendus duntaxat sit de Primatu Patriarchico, sicut & cæterorum illic asserti Primatus nonnisi partim de hoc, partim de inferioribus aliis intelligi possunt; atque concludet, si quid amplius in NICÆNO Concilio visa sit obtinuisse Romanorum Ecclesia, id quidem esse *Primatum universalem*, sed tunc denique illi concessum, & amplius roboratum per sequentia Concilia: atque huc trahi Chalcedonense effatum; hunc genuinum ipsius sensum esse, cum dicitur: *Antiquæ Romæ Throno, QUOD URBS ILLA IMPERARET, jure PATRES* (nempè in generalibus Conciliis congregati) *privilegia TRIBUERUNT*. Exempla vero præcedentium Romæ Episcoporum, qui jantum Sedi suæ

L 2

pote-

(s) pag. 45.

(t) apud Hard. Tom. II. Conc. col. 638.

potestatem super cæteras attribuerint, facile in *excessivum dominatum*, & quæ hujus sunt generis, detorquebit. Fiet tanto ille fidentior, ut hæc asserat, si legerit, quæ scribis Responſione ad Censuram 7mam Ubiam Art. 1. " *Quid tunc juvabat (Sæc. X.) Ecclesiam, habuisse mon-*
stra Paparum? Nonne tunc Ecclesia seipsam suo pondere, & consilio
sustentare debebat? A Papis enim nullum ei præsidium. Si hoc adju-
vante Deo per UNUM Sæculum, quidni per DUO? Si per duo, quidni
TRIA, & ULTERIORA? Quæ enim argumenta probant Ecclesiam
per MILLE v. g. annos absque præsidio Papæ non posse subsistere, ea-
dem probabunt, quod neque per CENTUM, QUINQUAGINTA,
QUINDECIM annos absque Papa certo, & idoneo possit subsistere."
 Hæc qui legit, confirmari posset per præcedentia, ubi quæris: " an-
 non posset rota Italia cum statu Ecclesiastico subjugari ab immiti, &
 perpetuo hoste nostro Turca per injurias temporum? Ita ut *Epi-*
scopatus Romanus extingueretur, sicut Patriarchatus Constantino-
 politanus; Quid tunc? An orbis Catholicus statim inveniret Se-
 dem Papalem commodam? Annon *integra secula* abire possent,
 per quæ concertarent variæ nationes pro isthoc honore? Annon
 trecenti, sexcenti anni effluere possent, quin haberetur Papa?" O
 quam belle! Quidni audacissimus tunc demum aliquis emergat, qui
 dicat; *nos non egere Papa*. Siquid eximium præ cæteris Apostolis ha-
 buerit PETRUS, id vel *honorem* merum fuisse (ut vult Jansenista Ano-
 nymus) vel cum eodem mortuo expirasse. (u) Hæc & similia sunt,
 quæ admissa semel *lacuna temporis* post D. PETRI obitum, eaque ad
 SECUNDUM porrecta sæculum, in hominum, qui vehementi pol-
 lent *imaginatione*, eaque magis, quam ratione utuntur, cerebrum
 haud ægre admodum *subintrare* possint, si forte non intrent illico, sed
 fecunditatis accipiendæ, ac parturiendi certo concessio tempore. Et
 non terreatur Catholicus, ista dum non ad phantasiam, sed rationis tru-
 tinam vocat? Non ita se res habet in *lacunis* temporum fero post ad-
 parentibus. Semel enim Primatu in Ecclesia Romana fixo, si quando
lacuna, eaque longior adparebit, hoc facile subibit mentem, Deum, qui
 Primatum esse voluit perpetuum, id provisurum quoque, ut non ni-
 mis fero Ecclesia certum denique sibi, & indubitatum Pontificem ob-
 venisse gaudeat.

Præ-

(u) pag. 278.

Prætereo jam multa, quæ excipere possem adversus ea, quæ incidenter hic asseruntur: velut cum *majorem* modo Ecclesiarum partem sufficientem habes pro figendo Primatu, qui antea PLURIMARUM requirebas determinationem; cum ais, Christum *non dedisse præceptum particulare*, & quæ isthic sequuntur, in prioribus jam occupata satis; cum ratione pertinacis schismatis contra Urbanum VI. &c. ais *sub disjunctiōe* (tanquam si utrumque probabile membrum foret) *aut vere, aut in effectu Acephalam fuisse Ecclesiam*: cum denique argumentum ex Paparum *inutilitate*, & qui *requisita utilis Rectoris* non habuerint, depromis. Sufficiet, quem huic loco reservandum duxi, Heroem profecto, & imperterritum, quem plura non sternant VATICANA fulmina, opponere tibi JUSTINUM FEBRONIUM, illum inquam FEBRONIUM, qui, quidquid potuit, subsidiis undequaque corrasit, tum Romanæ Sedi, tum sedentibus in ea Pontificibus detrahere, salvo eo, quod Catholicus videretur, detraxit; qui, ubi per rimam tantum contuitus fuisset *lacunam temporis*, & ad SECUNDUM usque sæculum protensam, donec a PETRO primum *fidelium omnium Patrem, & Pastorem* accepisset Ecclesia, adeo non illa terrendus fuit, ut etiam longiorem optasset; qui tamen non vidit illam, aut visam velut monstrum exhorruit, quod se Patre genitum, vel ex alio adoptatum, in lucem efferri erubesceret. Ipsismet audire juvat loquentem Lib. sing. cap. II. §. III. pag. 98. Editionis secundæ.

" *Quod autem inde a Petri Excessu, per continua non interrupta tempora*
 " *hoc, de quo agimus, eminens Primatus officium non ab aliis, quam*
 " *solis Romanis Præsulibus nunc cum justa, & legitima, nunc cum ex-*
 " *cessiva auctoritate gestum, sed & in illis a Catholica Ecclesia respective*
 " *agnitum fuerit, certum reddunt acta Conciliorum, gesta eorundem*
 " *Pontificum, denique Scripta, & Elogia Patrum tam Orientis, quam*
 " *Occidentis.*" Audin' INDE A PETRI EXCESSU; ergo absque
 notabili mora: PER CONTINUA NON INTERRUPTA TEM-
 PORA; ergo sine lacunis talibus, in quibus *omni cum jure verus, &*
indubitatus sine Primatu foret Episcopus: EMINENS PRIMATUS
 OFFICIUM a ROMANIS PRÆSULIBUS, & quidem SOLIS, *ex-*
cessiva interdum cum auctoritate (sed hoc nihil interest) reipsa tamen,
 & semper gestum agnoscit Magnus ille FEBRONIUS. Agnoscit,

sic quoque Catholicam agnovisse diversis temporibus Ecclesiam; nam
 is, ut puto, sensus est hujus adverbii: *respective*. Agnoscit, utrum-
 que hoc, quod scilicet & gestus semper INDE A PETRI EXCESSU
 Primatus fuerit a ROMANIS PRÆSULIBUS, & gestum ab iis sem-
 per CATHOLICA agnoverit ECCLESIA, CERTUM reddi per
acta Conciliorum, gesta Pontificum, Scripta, & Elogia Patrum tam Ori-
entis, quam Occidentis. Ita tunc quidem FEBRONIUS. Sed quam
 nunc iliacrimetur sibi, quam doleat, non prius præisse JCTUM Tre-
 vericum, ac viam monstrasse, qua non solum CLEMENTIS I. sed
 plurimum exinceps Romæ Episcoporum in jus trahi Primatus, quin &
 negari valeat! Quam avide, si præisses, secururus fuit! Quam insu-
 per multa ex Jansenistarum libris, ex quibus tam pingue suum reddi-
 dit opus, ut pinguesceret eo magis, atque splendesceret, caute tamen,
 ne fontes nominaret, additurus! Fortassis nunc etiam, quamvis se-
 ras, habebit gratias, quod præiveris tandem: ac Ducem te nactus,
 Ducemque alium, quem aliquoties citavi, Jansenistam Anonymum,
 & si quis interea prodibit, ejusdem factionis particeps, uberem quarto
 tomo suo materiam succrevisse lætabitur. Quid tunc non expectet
 orbis? Novumne duntaxat aliquid, vel insolens, quale identidem
 parturit Africa? An monstrum HORRENDUM, INFOR-
 ME, INGENS, quale non visum hæctenus?
 Tempus dabit.



EPI-

E P I L O G U S.

Criten egi Systematis vere NOVI, quod PETRO etiamnum vi-
 venti tres ordine *Successores* in Romana Cathedra subjungit: Cri-
 ten Theseos vere INSOLENTIS, quæ in jus traxit Primum
 Pontificium S. CLEMENTIS I. si non plane sententiam adversus
 illum tulisse visa sit. Severitatem, fateor, adhibui, sed eam; quam
 Criticæ exigebant leges: quam cernebam ab ipsomet adprobari illo,
 quem VIR CLARISSIMUS adprime novit frequenti adeo commenda-
 tione dignatus, fortassis & præ proximo quovis diligit, ac diligere
 debet. Authorem intelligo Anonymum Principiorum Juris Ecclesia-
 stici, qui cap. XI. de *Authoritate Patrum* §. XVI. pag. 111. consul re
 me jubebat, an liber, quo uterer, sit *genuinum Patris opus*, consulere
totum libri caput cum connexis, priusquam respondeam, aut proponam;
discernere ἔργον, sive argumentum libri præcipuum a παρεργῶν, sive
concomitantibus &c. Atque hac mihi severitate eo magis utendum cen-
 sui, quo minus, si ipse adhibuisset VIR CLARISSIMUS, ad Systema
 illud, vel Thesin calamum adjicere suum, animumque potuisset. Mo-
 deratione tamen illam a me conditam facile quis perspiciet, nisi
 si in eo nonnullis excessisse videbor, quod sale interdum perfricuerim
 VIRUM CLARISSIMUM. Sed velim hos meminisse, ipsum fuisse pri-
 mum, qui offam intriverit, & ex sale adversus HENSCHENIUM,
 & PAPERBROCHIIUM insperfo, delicato hujus sæculi gustui parum
 accommodatam obtulerit; neque alium, quam ipsummet hunc sale,
 vel huic similem, quoniam facilius ferebat illum Disquisitio critica,
 non eam ob causam futura insipida, rependendum putarim. Restat,
 ut quis mihi ista scribenti finis fuerit, Lector Benevolus intelligat.
 Præter eum, qui Scriptori cuilibet esse debet, ut adpareat veritas;
 præterque alium, qui est Catholici hominis, ut labor qualisunque suus
 ad majorem Dei gloriam, & communem Ecclesiæ utilitatem cedat;
 præterque tertium, qui speciatim Ordinis mei Viros, atque etiam
 Academicos UBIORUM Doctores decet, ut imminutum PRÆTER
 FAS OMNE Romanæ Sedis splendorem, ac dignitatem Capitis in
 CLE-

CLEMENTE I., ne fortassis & nutet illa in CLEMENTE XIV., pro virili sua tueantur, atque restituant; præter hos, inquam, tres fines hic quoque accessit quartus, ut præjudicium, quo multos laborare scio, qui ex VIRI CLARISSIMI disciplina prodierunt, & laborabunt fortassis adhuc, qui sub ea sunt constituti, tanquam si nihil, nisi limatum, perfectumque ex ejus calamo prodire possit, eximerem; viderentque ii, non esse hunc Virum, quorsum *το αὐτος ἐφα*, solenne illud Pythagoricæ scholæ placitum accommodari debeat. Equidem jam istud solum, ac ne omne quidem, quod in HISTORICO de S. CLEMENTE continetur, ad crisin meam revocavi, ac quam sane non vera omnia sint, imo nec verosimilia, quæ IPSE DIXIT, ad evidentiam, ut puto, confeci. Quid fieret, si cætera quoque ad Romanam Sedem, vel ejus Sedis pertinentia Pontifices, quæ in tot spissis Dissertationibus per annos viginti quatuor, & amplius authore ipso vulgaris prostant, crisi mea, & severa æque, percurrendi vel animus esset, vel otium? Dubitare vix possum, quin plurimum copiosa, ac redundans voluminum ea futura esset materies. Sed forte non exurgere hunc mihi animum, nec si exurgeret, otium adesse patietur VIRI CLARISSIMI in Vindiciis contra me ordinandis festinatio, & ubertas. Tinniunt jam aures meæ, atque illud præfagiunt: *Parturiunt montes &c.* ac quæ similia sunt, magisque ad despectum inservientia: aut an fallunt illæ me, satisque causæ suæ novitate, quæ non possit non plures hac ætate, in qua tanta est novaturiendi libido, nancisci patronos, ipsoque authoritatis pondere, quo apud eruditos tam Catholicos, quam Protestantes præpolleat, quia necesse sit calamum acueri adversus *Theologum Coloniensem*, defensum se VIR CLARISSIMUS, meque obrutum arbitrabitur? Non curo, quid arbitretur, quidve facturus sit. Unum moneo, si forte contra me proditurus est, quod & monebat ELEGANTISSIMUS ille Canonicus ADEODATUS ENS in *Pythagora Novo excusso* pag. 297. moneo, inquam, ut *totum suum Systema* (addo & *Thesin*, & cum rationibus tam *Systematis*, quam *Theseos*) defendendum esse cogitet, *causamque non in solius vulgi, sed orbis literati, & S. Romanæ Ecclesiæ oculis sibi esse dicendam.* Alterum non oblivisci fas erit, ut, quamvis ætate sim minor ipso, hujusque folius, ac virium præsentium habita ratione, fortassis vita longior sit expectanda; quoniam tamen incertæ sunt hominum sortes, aliterque placere potest

test supremo vitæ ac necis arbitro; non judicet confutationem, siquam utiliter se facturum credat, in illud esse differendam tempus, quo de morte mea nuncium acceperit. Turpe est mortuorum insultare cineribus, nec quietem ossibus indulgere; quod tamen se non vereri ostendit CLARISSIMUS, cum mortuos REUTERUM, atque HARTZHEMIUM in Theſibus suis exagitare non desinit: imo præmortuis pridem ante HENSCHENIO, & PAPEBROCHIO (sed hic sibi cavendum habet, quoniam in Successoribus etiamnum suis superstites vivunt, sicut de PETRO in Synodo EPHESINA, qui hic mihi locus opportune occurrit, PHILIPPUS dixerat Presbyter, esse SÆCULIS OMNIBUS NOTUM, *B. Petrum in Successoribus suis vivere, ac judicium exercere*) bellum intentandum putavit, felicius cum umbris se digladiaturum ratus, quam si vivos, proprioque robore se tueri valentes aggrediretur. Permittam tamen, nec indignabor, si ita e re sua existimaverit, ut prius TREVIRO VINDICI etiamnum viventi, quem postea in eodem argumento secutus est ADEODATUS, quam mihi multo his serius venienti, mucronem suum opponat. Nam illud notum habeo, quamvis JCtus non sim; *qui prior est tempore, is jure potior*. Otium quoque interea temporis esse poterit, non solum quæ prælo datæ sunt, VIRI CLARISSIMI Dissertationes, sed etiam ANECDOTA quædam pervolvendi, quamque defensionem meam, novoque bello materiam parare possint, diligenter notandi.

I. O. H. D.

Errata.

Pag. 6. lin. 4. comprehensura
 Pag. 24. lin. 29. illi
 Pag. 52. lin. 13. vocis
 Pag. 53. lin. 16. facti
 Ibid. lin. 34. visum
 Pag. 55. lin. 11. addito
 Pag. 64. lin. 1. trahet
 Pag. 71. lin. 8. ἐκκλησιαστικος

Corrigenda.

comprehensuro
 illa
 voces
 feci
 vivum
 adito
 trahat
 ἐκκλησιαστικος

M

1682

Die ...

...

...

...

...

...

...


...


...

...

...

...





Th
4742